ANTIQUITAS, ET DIGNITAS ECCLESIÆ VERCELLENSIS VINDICATA...

Francesco Innocenzo Fileppi

ANTIQUITAS, ET DIGNITAS

ECCLESIÆ VERCELLENSIS

VINDICATA.

Dissertatio Apologetica

FRANCISCI INNOCENTII, PRIORIS, FILEPPI

CANONICI THEOLOGI VERCELLENSIS.





LUCÆ 1754.

TYPIS VENTURINI

SUPERIORUM PERMISSU.

ILLUSTR.MIS, ET REVERENDIS.MIS
DOMINIS

DD. DIGNITATIBUS, CANONICIS ET CAPITULO ECCLESIÆ VERCELLENSIS

FRANCISCUS INNOCENTIUS
FILEPPI

Ejusdem Ecclesiæ Canonicus
Theologus

S. P.



Unquam fore rebar, Amplissimi Patres, & Collegæ Veneratissimi, ut Dissertatio mea de Antiquitate, & Dignitate

inclytæ hujus Vercellensis Ecclesiæ, *quam ab inviti pene manibus ereptam Illustrissimus & Reverendissimus DD. Joannes Petrus SOLARIUS*, *Præsul & Comes Vercellensis*, *novissimè ab eo habitæ*, *Sapientissimis Synodi Decretis*, *adnecti voluit*: *quæque innocenter adeo contexta est*, *ut noceret nemini*, *nullumque læderet*; *nunquam*, *inquam*, *fore rebar*, *ut exteris omnibus*, *iis potissimum*, *quorum fortassis intererat*, *altè silescentibus*, *ex domesticis unum offenderet*, *qui inusitato sane exemplo*, *innocuis Patriæ laudibus*, *se ultrò hostem inferret*, *quam toto nisu*, *ipsum provehere oportebat*. *P. Triverium loquor*, *popularem nostrum*, *Sapientissimi Prædicatorum Ordinis assectam*, *cujus delata huc nuper est* Historico Critica Dissertatio, *typis Mediolanensibus edita*, *qua inaudito consilio*, *assertam à me & Civitatis hujus*, *& Ecclesiæ Dignitatem elevare*, *atque evertere* (*Si fieri posset*) *non veretur*: *& me*, *qui eum vix de facie novi*, *quique cum illo nullum usum*, *nullumque ne levissimi quidem sermonis commertium unquam habui*, *conviciis*, *quod Patriæ gloriæ nonnihil*

sim

sim velificatus, *acriter insectatur*. *Rem novam admiramini viri Amplissimi*. *Est tamen*, *quod amplius miremur*. *Quæ à me*, *pro Ecclesia nostra*, *in Dissertatione mea*, *parcè restrictèque conscripta sunt*, *ea brevi quidem*, *sed luculentiori oratione prosecuti sunt*, *ejusdem præclarissimi Ordinis*, *Sapientissimi Patres*, *dum Provincialia Comitia hic solemni celebritate haberent anno* 1747., *biennio videlicet antequam mea prodiret Dissertatio*, *ita ut ipsi*, *eorum*, *quæ exiliter deinde in Dissertatione mea dixi*, *mihi Auctores fuisse*, *jure & merito censendi sint*. *Audivimus ex suggestu*, *in ornatissimo*, *frequentissimoque Eruditorum consessu*, *& oculis subjecta legimus*, Eusebianam Ecclesiam, everso fabuloso D. Barnabæ Apostolatu Italico, sibi MERITO' vindicare D. Petrum, verum conditorem & DD. Sabinianum, Martialem, & Justinianum cooptatos Apostolicæ turbæ, primo fidei Christianæ ævo, summam sacerdotii potestatem, in administrandis ejus rebus obtinuisse. *Audivimus*, Civitatem Ver-

cellenſem, quæ præibat Romæ in vetuſtate conditionis, Romæ eſſe æqualem in antiquitate Religionis. *Audivimus*, jura Metropolitica, Mediolanum hinc fuiſſe translata. *Audivimus*, uſu Pallii Græci, Epiſcopos Vercellenſes, fuiſſe inſignitos. *Audivimus* . . . . . ſed præſtat Orationem ipſam ob oculos ponere.

„ ILLUSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS DD.

„ DIGNITATIBUS, ET CANONICIS

„ AC CAPITULO

„ ECCLESIÆ EUSEBIANÆ

„ FR. RAYMUNDUS MEDAIL SECUSIANUS

„ ORDINIS PRÆDICATORUM

S. P. D.

„ Multæ me rapiebant cauſſæ, ut
„ haſce meas vigilias, ſub veſtri no-
„ minis auctoritate, ac fulgore, Me-
„ cænates Optimi, exire in lucem
„ curarem; & cæteris ſilentio invo-

„ lu-

„ lutis, unam in publicum proferam,
„ nimirum mirificus animi mei impetus, exortus à clarissima fama
„ vestrarum dotum, ac virtutum, quæ
„ eloquentiæ copiam offendunt; ut Spiritus citius deficiant, quam crescat beneficio rerum Orationis cursus. Quis non ardeat mecum pari
„ studio, si leviter versetur in spectandis exordiis Ecclesiæ Eusebianæ,
„ cujus vos estis electi, Primates!
„ Nam ipsa, everso fabuloso D. Barnabæ Apostolatu Italico, sibi meritò
„ vindicat D. Petrum verum conditorem, & Divos Sabinianum, Martialem, Justinianum, cooptatos Apostolicæ turbæ, qui primo Fidei Christianæ ævo summam Sacerdotii potestatem, in administrandis ejus rebus obtinuerunt: quapropter Civitas
„ Vercellarum, quæ præibat Romæ,
„ in vetustate conditionis, Romæ esset æqualis in antiquitate Religionis.
„ Quis non laudibus efferat votum meum; dum in animo volvat Eusebium,
„ Parentem vestrum, qui fuit invictissimus Vindex Divini Verbi, in pro-

„ xima jactura Fidei: fuit magnus se-
„ cundum nomen suum, maximus in
„ salutem Electorum: fortis in bello,
„ in medio Magnatorum, scilicet in
„ Concilio Mediolanensi, in conspectu
„ Regum ita apparuit, ut neque se pol-
„ lui, neque filios suos cum Arianis
„ participare permitteret: quasi Sol re-
„ fulgens, sic effulsit in Templo Dei:
„ fuit ut filius lucis per sanctam ver-
„ sutiam, prudentior filiis tenebrarum,
„ & demum confregit vafros ubique
„ terrarum, & contrivit inimicos us-
„ que ad hodiernam diem. Non agam,
„ ut eloquar de usu Pallij Græci, cui
„ decimo sæculo successit usus Purpuræ,
„ de amplitudine vetusta vestræ Eccle-
„ siæ, cum qua fuerunt coniuncti Popu-
„ li, ac Agri Vercellensis, Ipporegien-
„ sis, Dertonensis, de Primatu Me-
„ tropolitæ, nunc à Mediolano, obten-
„ to, de honoribus, & muneribus,
„ de Oppidis, de Principatibus, quibus
„ Ecclesiam Vercellensem Summi Pon-
„ tifices, & Augusti Imperatores per-
„ fusis manibus, affecerunt, ac orna-
„ runt. Non possum silentio percurre-

„ re-

„ re Primatum Ordinis Canonicalis ,
„ ibi incæpti sub Imperio Eusebij , &
„ propagati ad cæteras Ecclesias Or-
„ bis Occidentalis, præstantiam Ritus
„ Eusebiani , ex quo velut filius, pro-
„ dijt Ambrosianus , cui laus eloquen-
„ tiæ , terra , marique diffunditur .
„ Jure & consulto optavi , ut conse-
„ crandi Numini vestro, laboris mei ve-
„ nia concederetur: quo nihil optabilius,
„ nihilque supersperandum . „

„ Hunc verò mihi, tanti favore pa-
„ trocinij condecorato hæret animus ,
„ planè obrutus à conspectu vestro, a con-
„ spectu Virorum , in quorum menti-
„ bus , Sapientia ædificavit sibi do-
„ mum , ita ut omni ævo , sapientis-
„ simo Regum consilio, impleveritis ,
„ ac impleatis Cathedras Episcopales.
„ Exoro vos , anxiè quidem , votis-
„ que omnibus , ut comitas vestra
„ temperet vestrum fulgorem ; ne ipse
„ sit allaturus ingenio meo , plus ob-
„ scuritatis , quam lucis , & demisso
„ animo , signum devotionis meæ sisto
„ venerabundus , & obsecro , ut gra-
„ to spiritu accipere dignemini . Va-

„ lete , & ferenis frontibus , meam
„ augete felicitatem . „

Oratio hæc , impressa legitur , præfixa Thesibus editis Mediolani , typis Joannis Montani (Superiorum permissu) *hoc titulo inscriptis* : Illustrissimis , ac Reverendissimis DD. Dignitatibus , Canonicis , & Capitulo Amplissimæ Vercellensis Ecclesiæ , se , suasque Theologicas Theses , more Academico defendendas , juxta mentem D. Thomæ Aquinatis , S. Ecclesiæ Doctoris, Provincialium Comitiorum celebratione , humillimè offert R. P. F. Raymundus Medail Secusianus, Ordinis Prædicatorum studens Formalis; *quæque hac annotatione clauduntur* : Disputabuntur publicè indeterminatis Thesibus in Templo S. Pauli Vercellarum ab eodem, qui supra , sub assistentia R. A. P. Fr. Augustini Mariæ Legnani Mediolanensis , in studio Generali S. Eustorgij de Mediolano Regentis. Anno 1747. Mense Aprilis , die, hora .

Hæc eadem , recurrentibus Comitiis , Anno 1751. , alio , quod sequitur , luculentissimo elogio , rursùm publicè testati sunt sapientissimi Patres .

„ IL-

,, ILLUSTRISSIMIS , ET REVERENDISSIMIS DD.

,, DIGNITATIBUS , AC CANONICIS ,

,, SANCTÆ ECCLESIÆ EUSEBIANÆ

,, VIRIS , RELIGIONE , DOCTRINA , PRUDENTIA

,, CLARISSIMIS

,, VERITATIS , AC JUSTITIÆ ÆQUISSIMIS

,, DEFENSORIBUS

,, AMORIS , ET ODIJ NESCIJS ,

,, INTEGRITATIS , BONARUMQUE ARTIUM CULTORIBUS

,, QUORUM ANIMÆ PATRIJ CANDORIS IMAGO

,, INEST

,, QUORUM MAJESTATIS FULGOREM , AFFABILITATIS SUAVITAS

,, TEMPERAT

,, QUORUM ECCLESIA D. PETRUM CONDITOREM

,, DISCIPULOS APOSTOLORUM PRIMOS PRÆSULES ,

,, D. EUSEBIUM MAGNUM DIVINI VERBI INVICTUM VINDICEM ,

,, QUORUM CAPITULUM ORDINIS CANONICALIS ORIGINEM

,, MONACHATUS DISCIPLINAM , CLERIQUE LEGES

,, IN-

INFULARUM PRÆROGATIVAM

„ RITUS EUSEBIANI PRÆSTANTIAM,

„ EX QUO AMBROSIANUS PRODIJT,

„ SUMMUM, QUADAM ANNI TEMPESTATE VECTIGALIUM JUS,

„ SIBI VINDICAT

„ OPPIDORUM COPIAM, ET SÆCULI DOMINIUM

„ PALLIJ GRÆCI POTESTATEM,

„ CUI PURPURÆ ROMANÆ USUS

„ IN EPISCOPI ORNAMENTUM SUCCESSIT

„ AUCTIS PONTIFICUM, ET CÆSARUMQUE BENEFICENTIJS

„ SIBI ADSCIVIT,

„ A' VETUSTATE, DIGNITATE, VIRTUTE CUMULATAS LAUDES

„ ADMIRATUS

„ NOVIS, FELICIBUSQUE SUFFULTUS AUSPICIJS

„ COMITIJS PROVINCIALIBUS, MIHIQUE PRÆSENS DECUS

„ GRATULANS

„ HOC QUACUMQUE SIT, GRATI ANIMI OFFITIUM,

„ ET OBSERVANTIÆ MEÆ ARGUMENTUM

„ DICO, CONSECROQUE „

Im-

Impressum legitur typis Mediolanensibus Hæredum Josephi Agnelli, præpositum alijs Thesibus, nomini vestro nuncupatis, hoc titulo: Illustrissimis, ac Reverendissimis DD. Dignitatibus, Canonicis, & Capitulo Amplissimæ Vercellensis Ecclesiæ, se, Suasque Theologicas Theses, juxta mentem Angelici Ecclesiæ Doctoris, *D.* Thomæ Aquinatis, in Comitijs Provincialibus, more academico defendendas F. Ludovicus Felix Rolandi de Albinga, Ordinis Prædicatorum alumnus D. D. D.. *Ad calcem legitur:* Disputabuntur publicè indeterminatis Thesibus, in Templo S. Pauli Vercellarum, Anno 1751; mense Maij, die . Præside P. F. Pio Francesco Sessa Comensi, in Studio Generali S Eustorgij, Ordinis Prædicatorum Regente.

Quæ quidem in celeberrimo Eustorgiano Archigymnasio diligenter adornata, atque ex eodem, nonnisi Sapientissimo, uti moris est, doctissimorum Patrum, ad id delectorum, calculo probatissima, in publicum prodiere, ut honori scilicet, non pudori essent, tum prestantissimis Alumnis, tum ijs, quibus honoris causa, Theses

nun-

nuncupabantur, *tum demum universo cœtui doctissimorum Patrum*, *quibus auctoribus*, *Theses*, *vestro nomini inscriptæ prodibant*. *Porrò dum ex amplissimo loco*, *ab iis ea dicerentur*, *qui Disputationem vestris sub auspiciis adgrediebantur*, *plaudentes vidimus*, *quotquot aderant*, *præcipuè Sapientissimos Ordinis Patres*, *optimos quosque ex universa Provincia collectos*; *ex quorum voluntate propterea*, *quis dubitet*, *quin ea descenderent*. *Num saltem P. Triverius*, *tantus veritatis Zelator*; *hæc æquis non est passus auribus*? *Nam & præsens adfuit*, *& sub ipsius oculis*, *eoque omnium*, *quæ agebantur*, *pleniter instructo*, *Nuncupationes paratæ sunt*. *Sed & ipse cum cæteris plausit aliquando*. *Quid igitur*? *Num adulatores putem Viros longè gravissimos*, *atque ex assentatione mentitos*, *Nomen vestrum*, *vestramque Ecclesiam ludibrio habuisse*? *Num tot*, *tantosque Viros*, falsa dignitatis ornamenta, eruditæ simulationis artificio composita, *in publicum dedisse arbitremur*; **vel** *ad* populāris auræ quæstum, *vel ad gratiam vestram*, *assentatione aucupandam*;

vel ad erroris diffusionem; *quorum*, *P. Triverio judice fol.* 9. alterum fædum est, alterum perniciosum? *Num ipsos judicamus* de industria, *ea omnia* confinxisse, congessisse, ut affectibus inservirent? *Intrepidè affirmat P. Triverius Cit. fol.* 9., *addens* se eorum non solùm pudere, sed etiam tædere. *Nempe dum adversum me, & Patriæ decora; obtrectationibus, & jurgijs, imprudentius invehitur, gravissimos, atque doctissimos sodales suos, imò & se ipsum, qui cum ijs olim sensit, immani ausu, fædaque criminatione, cujus pudere, imò & pænitere ipsum oporteret, repræhendit. Ferendum tamen utcunque facinus videri posset, Viri Aplissimi, si saltem obtrectatio, contumelia careret, & rationum, auctoritatumque momentis instructa, in medium prosiliret. Ast eam prorsus delumbem esse, atque jejunè admodum elaboratam, sive argumentorum pondus, vimque Critices, & eruditionis, sive scriptionis formam, dicendique genus, inspexeris; eoque uno præstare, quod Dissertator, inordinatis clamoribus, contentiosius convicia, atque contumalias erumpit; adno-*

ta-

tarunt doctissimi Viri. Ob hæc, plerique, quorum consilijs iam acquieveram, vehementer mihi auctores erant, ut minimè dignum refutatione, Adversarium ducerem. Verùm quo minus id exequerer, tum postulata vestra, Amplissimi viri, imprimis intercesserunt. Non enim æquo fertis animo (& nemo bonus tulerit) Principis Ecclesiæ præcipuas laudes ab Diocesano homine, qui aliquam obtrectando, nomini suo gloriolam, quærere fortasse arbitratur, vociferationibus, licet inanibus impeti, quæ apud imperitum vulgus, quod hisce moveri solet, non nihil obtinere possent, si justa animadversione non castigarentur. Ego verò, ut & vobis morem gererem, & simul Adversario meo obsequerer, ne omninò à me contemptus videretur, tandem decrevi, calamo parcendum non esse. Itaque pauculos dies, seu verius horas, manu, majoris molis negotijs alijs, paulisper subducta, nonnullas festinanter annotatiunculas (interea dum alij, hominis nimiæ confidentiæ paulò iratiores, dissertationem ab ipso consar-

ci-

cinatam , universam , & per unamquamque ejusdem partem singulatim , ut audio , accuratiori trutina ponderant , expenduntque) paravi , queis de aliquot adversarum impugnationum , judicium fertur . Has , quæ vobis Auctoribus prodeunt , vobis ut rem vestram offero , reddoque . Eas , qua in me humanitate soletis , excipite , atque eadem amplissimi vestri Nominis Dignitate , qua magnificentissima Principis Ecclesiæ decora , ubique clarissima , hucusque procul obtrectatione depulsa , intacta servastis , ab injuria defendite. Valete. Vercellis IV. Id. Aprilis MDCCLIV.

FRAN-

FRANCISCO INNOCENTIO FILEPPO

EVSEBIANÆ CATHEDRALIS ECCLESIÆ THEOLOGO CLARISSIMO

EUSTATES ALPHIUS S. P.

QUintum post annum, quam prodiit singularis tua & perdoctè scripta dissertatio de Vercellensis Ecclesiæ antiquitate, & dignitate, quum sæpe jam auditum hic erat, multa & gravia adversum te moliri Eruditos quosdam, qui ægre ferrent, te Metropoliticum jus D. Eusebio adseruisse; in scenam tandem præter omnium expectationem producitur P. Hyacinthus Triverius Vir, ut conijcio, natione potius, quam animo Vercellensis, atque hac, quam a me habeas, volo, dissertatione, Historico-Critica, ita nimirum inscribit, *basce res* veluti *a te excogitatas comprimere*, *&* *conterere* non mediocri confidentia agreditur: nempe „ Vercellensis Ecclesiæ primordia D. Pe-

„ tro

„ tro Apoſtolo, vel cuidam ex Apo-
„ ſtolico Cœtu eſſe adſcribenda; Fidem
„ Vercellis ab initiis a D. Sabinia-
„ no, inde a D. Martiali propaga-
„ tam, tum eoſdem, tum D.D. Juſti-
„ nianum, & Theoneſtum munere
„ Epiſcopali ibi defunctos eſſe, tandem
„ Eandem Eccleſiam dignitate Metro-
„ politica decoratam fuiſſe. „ Cur cæteris, qui potiori jure feciſſent, ſilentibus, hanc ipſe provinciam ſibi ſumſerit, & quæ melius vindicaſſet Patriæ decora, evertenda ſponte ſuſceperit, veritatis ſtudium cauſſatur, quod *pietatis neceſsitudinis* vicerit. Vir ſane ſincerus, & integer, opinionibus, & cupiditatibus ſolutus! Certaminis vero; quod non quæſitus init, Ducem Melchiorem Canum appellat, quocum aut *pariter in luto debeat hæſitare, aut pariter ſit expediendus*. Quibus ſi luculentum addideris judicium P. Corderii cenſorem, immo verius *Encomiaſten* agentis, quî non extremum cauſſæ tuæ exitium verearis? Frons ſpecioſa, fateor, magnifici aditus, ſplendida promiſſa. Quid porro in receſſu? Inſignis

de-

demum ostentatio, convicia, supercilium magistri ineptam pueri *scriptiunculam* despicientis, non modo severioris criticæ leges sed vel prima dialecticæ Elementa neglecta, scribendi ratio, qua sui imitatorem nusquam Canus agnoscat. Leves tamen conatus non usque dedignaberis Vir Clar., ut nulla comprimendos refutatione putes; sed pro singulari, quo es in Ecclesiam nostram, studio, quam primum adseruisti, ejus dignitatem a non æquis detrectatoribus naviter vindicabis. Non lustri operam flagito, sed quam brevi conficias otio. Te spondeo rem pergratam facturum non popularibus modo Nostris, & Civibus, sed vel iis ipsis, quorum gratiam inire Triverius fortasse voluit, quamquam se tamen illis admodum, quod audio, non probaverit. Vale.

Mediolani VI. Kal. Martii
MDCCLIV.

AN-

ANTIQUITAS, ET DIGNITAS

ECCLESIÆ VERCELLENSIS PROPUGNATA.

DISSERTATIO APOLOGETICA,

Go quidem fermè invitus, hanc Dissertationem instituo. Quam plura, ab ea me valide retrahebant. Videbam nostrum Dissertatorem, ultro mecum in arenam descendisse, non ut de veritate disceptaret, sed ut conviciis, & dicteriis me incesseret. Hanc ejus mentem fuisse, quisque probe norit, qui Dissertationem ex adverso ab eo contextam, attentè consideraritr. Non est autem meum, quemquam aversari, aut durius habere, quod mecum, nec lacessitus, neque quod sua intereſt, propugnans, ultro iniquè agat. Meæ tenuitatis conscius, nulli, crimini verto, quod me, meaque flocci pendat. Neque ego is sum, qui velim, aut de-

beam

beam lacessentibus, vicem rependere. Id vetat character Sacerdotalis, quo, licet indignus, honestor: vetat Christiana mansuetudo, qua districtè præcipior, neminem, vel lacessitus lædere: vetat institutum meum, quo constanter loco parentum habeo, omnes doctos, & eruditos, a quibus instruar, & docear; quos propterea demisso obsequio veneror, coloque: vetant demum rei literariæ, venerabiles leges, nec non honestatis; modestiæ, prudentiæ, ac humilitatis Christianæ jura inconcussa, queis homines, voluntate inter se concordes, esto intellectu diffideant, concertationes, quas suscipiunt, agere jubentur, non ut se mutuo proscindant, sed ut veritatem disceptando a quantur. Illud, & accedebat, quod videbam mihi rem esse cum Viro *vasta eruditionis*, *exacta Critices*, atque *invicto argumentorum pondere*, congrediente, juxta sapientissimi Censoris judicium, quod legitur fol. 6. Ipse quoque doctus Dissertator me terrebat fol. 11., ubi profitetur *res a me excogitatas*, *sibi facillimum accidisse*, *comprimere*, *atque conterere*. Et quamvis probe mihi conscius sim, nihil a me in Dissertatione mea prolatum, quod haud contemnendis rationum, & auctoritatum momentis, vallatum non sit; nihilominus inopia eruditionis, & modicitas intellectus mei, me anxiè agitabant, ne forte in luce caligarem. Nunc verò, quod sapientissimi viri, me certum reddunt, neque Dissertationem adversam, ea argumen-
torum

torum critices, & eruditionis copia, refertam esse, ut formidari debeat, neque Dissertationem meam adeo exilem, & infirmam esse, ut ab impetentibus, valide defendi non possit: iique hortantur, ut alacriter aggressorem excipiam, ejusque ictus, & conatus refringam impavidus; eorum voluntati me accomodans, & tantisper intermissis gravioribus occupationibus aliis, quibus incessanter distineor, Dissertationem meam, raptim propugnandam suscipio, ea qua par est reverentia erga Dissertatorem nostrum, quem profiteor me venerari, & diligere. Ad opus, eo alacrius accingor, propensiusque, quod ad illud, me iteratis postulationibus solicitant, tum Eusebianæ Ecclesiæ Patres, sodales mei, tum turmatim Convices nostri, &, quod caput est, urgent jussa veneratissima Illustrissimi & Reverendissimi D. Comitis Joannis Petri Solarii, Vercellensis Præsulis, zelo, doctrina, pietate, & vigilantia verè pastorali, clarissimi, quo imperante, Dissertatio mea, me ferme invito, prodiit; quibus omnibus grave nimis accidit, atque iniquum videtur, virum Dioecesanum, silentibus cæteris, propriæ Ecclesiæ laudum, nullo impellente, obtrectatorem assurgere, & se ultro hostem inferre. Si quid calamo, quod causa non reposcat mea, imprudens exciderit, quod aut acrimoniam sapiat, aut optimæ existimationi, & venerationi, quam nostro Dissertatori debeo, vel minimum detrahat, aut ali-

aliquid contineat, quod vel leviter adversetur legibus justæ defensionis, id totum, tanquam inconsideratum, aut perperam dictum, & revoco, & improbo.

Rem totam conficiam, non ratiociniis tantum, & auctoritatibus, sed verbis utrinque prolatis, nulla elegantiæ, sed solius perspicuitatis habita ratione, quo planior, expeditiorque nostra evadet Oratio, spretis verborum fucis, & ornamentis. Ut autem de omnibus, quæ dicturi sumus, rectum sit judicium, ob oculos docti Lectoris ponimus Dissertationem nostram, prout jacet ad calcem Synodi Dioecesanæ; eam deinde, libratis dumtaxat, collatisque, quæ ex adverso profert ingeniosus Dissertator noster, propugnaturi.

DE

DE ANTIQUITATE, ET DIGNITATE ECCLESIÆ VERCELLENSIS, *DISSERTATIO*.

„ E*cclesia Vercellensis* (ait Ughell. tom. 4.
„ Ital: Sac. in Ep. Vercellen.) *dignitate*,
„ *ac privilegiis Regum*, *& Imperatorum*, *antiqui-*
„ *tate praterea*, *& Præsulum sanctitate*, *ac præ-*
„ *stantia*, *in Gallia Cisalpina*, *si qua alia*, *cla-*
„ *rissima est*. Cum Ughello sentiunt omnes, &
„ nemo est, qui diffiteatur, eam esse unam
„ ex dignioribus, & antiquioribus inter cæte-
„ ras Italiæ. Equidem Ecclesia Brixiensis coæva
„ est Mediolanensi; nam & eam D. Barnabam
„ fundasse, & D. Anathalonem primum ejus
„ fuisse Episcopum jam usque ab anno æræ vul-
„ garis 53., antequam ad Sedem Mediolanen-
„ sem transferretur, summo consensu testantur
„ Mediolanenses Scriptores, sequuti Catalogum
„ priorum sex Mediolanensium Antistitum, quem
„ ipsi antiquissimum appellant, quemque ali-
„ qui elucubratum opinantur a Severo Sul-
„ pitio, ut videre est apud Puricelli Differt.
„ Nazar. cap. 2., alii confectum sæculo circiter
„ VI., quos refert Nicolaus Sormanus in libro

„ edito Typis Mediolanensibus anno 1740., cui „ titulus: *De origine Ecclesiæ Mediolanensis*, in „ quo legitur, quod D. Anathalo, *omni tempore quoad viveret, utriusque Ecclesiæ Mediolanensis, & Brixiensis, plebibus pari tenore pastoralem curam impenderet*. Licet autem tan„ ta sit Ecclesiæ Brixiensis antiquitas, nihilo „ secius quum anno 1311. contentio dignitatis „ Vercellensem inter, & Brixiensem Ecclesiam „ orta esset, Brixiensis causa cecidit, & Ver„ cellensem, rei veritate diligenter inspecta, „ peæcellentiorem, honorabilioremque, publico „ diplomate definitum est. Brixiensis enim Epi„ scopus in Conventu generali Mediolani ha„ bito coram Henrico VII., de cujus corona„ tione agebatur, quum omni ope, atque ope„ re contenderet, sibi supra cæteros Episcopos „ Mediolanensis Provinciæ Suffraganeos prima „ subsellia deberi post Metropolitanum, contra „ stetit Ubertus Episcopus Vercellensis, & pro„ latis juribus ostendit: *Ex longissima, & inveterata consuetudine, atque observantia juxta mores diutius approbata, ad Episcopum Vercellensem, tanquam ad praecellentem, & honorabiliorem Suffraganeorum Lombardiæ, eam praeminentiam spectare, tam in Conciliis, quam in Consecrationibus, & aliis tractatibus, & parlamentis solemnibus, in quibus Suffraganei Mediolanensis Ecclesiæ requiruntur. Quæ ubi Henricus intellexit esse vera, pramissa diligenti deliberatione, atque deliberato consilio Procerum, Comitum, & Baronum suorum Brixiensem*

sem Episcopum a prædicta prærogativa beneficio exclusit, primis subselliis Vercellensi Episcopo decretis. De quibus omnibus constat publico „ Imperiali diplomate hac de re edito die 6. „ Januarii 1311., quod impressum legitur apud „ Ughell. loco cit., & apud Ferrerium nostrum „ in vita S. Eusebii, edita Typis Romanis „ anno 1602. fol. 200., atque autographum as- „ servatur, vetustate quidem aliquibus in locis „ exesum, in Archivio nostro.

§. I.

De antiquitate Ecclesiæ Vercellensis.

„ EA propter origo Ecclesiæ Vercellensis (ne „ juniorem vicisse antiquiorem dignitate, „ dicamus) vel ad D. Petrum Apostolum, vel „ certe ad Apostolorum discipulos, qui primis „ æræ Christianæ annis eam fundaverint, ne- „ cessario referenda est. Et quidem nemo est „ unus, qui eam recentiorem faciat. Enim vero „ Divum Petrum Vercellis prædicasse, ibique „ prima Evangelii semina fudisse, videtur inne- „ gabile. Nam in primis id evincit antiquissi- „ ma, & firmissima apud nos traditio, qua con- „ stanter credimus, Apostolorum Principem præ- „ dicationi Evangelicæ eo in loco Vercellis exor- „ dium fecisse, quo postea in tantæ rei monu- „ mentum, jam usque ab initio nascentis Ec-

„ clesiæ, Ecclesia constructa est, nota sub nomi-
„ ne *S. Petri la ferla*; cui traditioni suffra-
„ gatur, quod tradunt gravissimi Auctores,
„ nempe D. Petrum eo intervallo, quo Roma
„ abfuit, pulsus Edicto Claudii Cæsaris, Occi-
„ dentalem lustrasse Orbem, Liguribus, Lybi-
„ cis Populis, quorum caput tunc erant Ver-
„ cellæ, teste Polybio apud Ferrerium in vita
„ S. Eusebii, edita Vercellis anno 1609. de
„ primor. Civit. Vercell. fol. 17., Evangelium
„ intulisse, & ad Alpes usque Secusiam, ut
„ habent Chronica Novalitiensis Monasterii anti-
„ quissima apud Ferrerium sup. fol. 27., &
„ 28. excurrisse. Adde D. Sabinianum, seu
„ Savinianum, (qui certe fuit unus ex disci-
„ pulis vel Christi, vel Apostolorum, de quo
„ infra sermo fusior habebitur) sicut legitur in
„ ejus vetustissima Vita manuscripta, quæ as-
„ servatur in Archivio Capituli, reperisse Ver-
„ cellis, primis illis Ecclesiæ nascentis annis,
„ quosdam viros cum nonnullis mulieribus præ-
„ ceptis Evangelicis jam initiatos, quos & ple-
„ nius a se instructos baptizavit. Jam vero quis-
„ nam alius illa Evangelii semina ibi fudit,
„ nisi D. Petrus, dum Roma pulsus Italiam
„ peragraret. Nam D. Barnabam in Gallia Ci-
„ salpina prædicasse, nullatenus credibile est,
„ sicuti adnotarunt Bacchinius, Tillemontius,
„ aliique eruditissimi Viri, & nos alibi, si per
„ otium licebit, Deo dante plenius expende-
„ mus.

„ Ad excolenda hujusmodi Fidei semina, Ver-
„ cel-

„ cellas directos esse a Principe Apostolorum Di-
„ vos Sabinianum primo, deinde Martialem,
„ constantissima est Ecclesiæ nostræ traditio. Quin
„ immo eos fuisse Ecclesiæ Vercellensis Episcopos,
„ eamque Episcopali jure aliquando gubernasse,
„ ex eo certa capitur probatio, quod ii anti-
„ quitus, quoad viguit ritus Eusebianus, pe-
„ culiari officio colebantur, ut Episcopi Vercel-
„ lenses; sed & eos in antiquis Kalendariis,
„ Missalibus, & Breviariis semper expressis ver-
„ bis nominatos esse Episcopos Vercellenses, af-
„ firmant tanquam testes de visu, Modena, &
„ Cusanus. Profecto in pervetusto Kalendario
„ manuscripto ferme ob nimiam antiquitatem
„ oblitterato, quod adhuc extat conscriptum
„ ante octavum sæculum, sicuti ex for-
„ ma characterum deprehendi facile potest,
„ sub 19. Octobr. legitur: *S. Sabiniani*
„ *Martyris Episcopi Vercellensis*; & sub 30. Ju-
„ nii: *S. Martialis Apostoli Episcopi Vercellensis*.
„ Atque de his in Breviario Eusebiano non
„ minus, quam de Divis Eusebio, Limenio,
„ Honorato, Æmiliano, aliisque Episcopis Ver-
„ cellensibus, recitabatur Capitulum proprium,
„ quod nonnisi in festivitatibus Episcoporum
„ Vercellensium recitabatur: *Talis decebat, ut*
„ *nobis esset Pontifex*.

„ Verum enim vero Divum Sabinianum in-
„ dubie fuisse Episcopum Vercellensem, locuple-
„ tissime testantur verba, quæ leguntur in ejus-
„ dem Vita, relata a Modena in suis manu-
„ scriptis, quæ ejus ævo (scripsit sæculo 16,

exeun-

„ exeunte) præ nimia vetuſtate vix legi pote-
„ rant, & ſunt hujuſmodi: *Contigit diſpoſitione Dei, & affatibus Summi Apoſtolorum Petri, Martyres Chriſti Savinianum, Pontianum, & Altinum Italiam velociter pervolare, ſicque ad ultimum populoſæ gentis Galliarum fines expetivere, qui per tantæ inquietudinis viam, quoſdam perfidiæ viros, ſacri cuſpide eloquii, & divina eruditione pleniter educaverunt, & ab inſtrumento diabolicæ actionis commodius ſubtrahentes, legibus vivificis ſuppoſuerunt. Vercellis autem Fidei Chriſtianæ quoſdam viros cum paucis mulieribus in itineris curſu baptizaverunt, & documentis ſpiritualibus pleniter inſtruxerunt. Enim vero colle properato cum his, & aliis compluribus Comitibus B. Savinianus noſter Pontifex primus indefeſſus Urbis Senonum firma peragrat mœnia, & ſuis ſpiritualibus machinis aggreditur*. Quæ verba cum ex eodem Modena
„ retuliſſet Clar. Vir Joannes Andreas Iricus in
„ Hiſtoria Tridinenſi nuper impreſſa Mediolani
„ anno 1745. lib. 1. fol. 11., ſubdit: Hæc Mo-
„ dena hauſit ex eo codice; verba illa,
„ *noſter Pontifex primus*, ſatis oſtendunt Ver-
„ cellenſis cujuſdam anonymi eſſe opus: cum
„ enim Sancti Sabinianus, & Socii peculiari
„ celebritate in Vercellenſi Eccleſia, tanquam
„ proprii ſuæ Urbis, & Dioeceſis Apoſtoli,
„ atque Paſtores, colerentur, priuſquam Ec-
„ cleſia illa peculiarem ritum ſuum a Magno
„ Euſebio, Euſebianum appellatum relinque-
„ ret, ut Romanum ſuſciperet &c.

Per-

„ Porro primis illis nascentis Ecclesiæ tempo-
„ ribus, quum messis multa esset, operarii au-
„ tem pauci, non poterant Apostoli, & Christi
„ Discipuli uno in loco diu consistere, quos opor-
„ tebat, & aliis gentibus evangelizare. Sed
„ quum aliquam Ecclesiam aliquando excoluis-
„ sent, & gubernassent, ad alias properabant,
„ quæ eorum opera maxime indigebant. Ex quo
„ factum est, ut plures Ecclesiæ unum, eun-
„ demque in Episcopum, & Apostolum successive
„ habuerint. Quod Ecclesiæ Vercellensi conti-
„ gisse scimus, primo in D. Sabiniano, quem &
„ Senones subinde Episcopum habuere: deinde in
„ D. Martiali, qui cum Divo Sabiniano in Cathe-
„ dra Vercellensi successisset, non multo admodum
„ tempore huic Ecclesiæ præfuit, ad Lemovi-
„ censes vocatus, ut eam fundaret Ecclesiam.

„ Divo Martiali in Sede Vercellensi successit
„ Divus Justinianus, qui & ipse fuit vel ex
„ Christi, vel ex Apostolorum discipulis, sicut
„ manifesto indicant verba Epitaphii mox refe-
„ rendi, quibus S, Justinianus dicitur fuisse *e*
„ *numero Apostolicæ turbæ*. Sedit autem annis
„ 16., mensibus 6., prout ex eodem Epitaphio,
„ quod nunc quidem amplius superstes non est,
„ illud tamen nobis servavit Gruterus, exscrip-
„ tum Vercellis a quopiam erudito Anonymo,
„ aliquot sæculis ante ipsum Gruterum, apud
„ quem legitur inter plura alia, quæ jacent a
„ fol 1163. ad 1175. editionis Comelinianæ de
„ anno 1603., & est hujusmodi.

Pon-

Pontificis Sancti requiescunt membra sacrata
Pro meritis devota loco, qui pace perenni
Mysticus Antistes, Paradisi sede locatus.
Hunc veneranda sibi suscepit Ecclesia Patrem,
Perpetuo Christi referente flore coronam,
Justitiæ cultor, sacrosancta præmia legis
Sumsit, Apostolica numeratus in ordine turba:
Unum ter quinis adjunxit Episcopus annum,
Tergeminoque super complevit tempora mense,
Justinianus ovans penetravit limina Cæli.

„ Post D. Justinianum nullius alterius Episcopi
„ Vercellensis ante D. Eusebium habetur certa
„ memoria. Adsunt nihilominus validissimæ
„ conjecturæ, suadentes D. Teonestum, non
„ militem de Legione Thebæorum, ut nunc
„ fert communis opinio; sed fuisse Episcopum,
„ qui Ecclesiæ Vercellensi præfuerit circa an-
„ num Domini 290., nempe sub Imperatoribus
„ Diocletiano, & Maximiano. Primo enim id
„ suadet habitus Sacerdotalis, quo ex testimo-
„ nio Ferrerii, & Cusani olim sculptus, & de-
„ pictus conspiciebatur tam in antiquis numis-
„ matibus, quam in parietibus Basilicæ Eusebia-
„ næ ante ejus restaurationem, in quibus, Teste
„ Modena in suis manupscriptis, D. Theonestus
„ eo habitu depictus apparebat, una cum aliis
„ Episcopis Ecclesiæ Vercellensis, pari habitu in-
„ dutis. Quæ quidem effigies, quæ ævo horum
„ Auctorum adhuc erant superstites, antiquiores
pro-

„ procul dubio sunt, traditione postea invecta,
„ quod D. Theonestus fuerit Miles, & Laicus.
„ Praeterea, quamvis nunc in Ecclesia Vercellensi celebretur festum D. Theonesti sub 20. Novemb. tanquam de Martyre tantum; est tamen certo certius, quod ante acceptationem Breviarii Romani res aliter se habebat: in omnibus enim Kalendariis antiquis nulla mentio S. Theonesti sub 20. Novemb., sed sub 30. Octob. Et quamvis illa in aliis aliqualiter varient, cum in aliquibus legatur: *S. Theonesti Episcopi*, & *Martyris*; in aliis: *S. Theonesti Episcopi*, & *Martyris Tutelaris Vercellensis*; in aliis; *S. Theonesti Episcopi Civit. Vercell.*, & *Mart.*; in recentioribus vero, ex quibus transcripsit Cusanus in suo Kalendario impresso: *S. Theonesti Civit. Vercell.* Episcopi *Altinensis*; omnia tamen conveniunt in exprimenda qualitate Episcopatus.
„ Postremo ante annos 60. erat in Basilica Eusebiana Capella D. Theonesto sacra cum pictura antiquissima, exprimente a latere dextro Virum Pontificalibus indutum, a sinistro vero Virum insigniis militaribus ornatum. Quod prima effigies esset D. Theonesti; secunda vero D. Secundi, manifesto colligitur ex testimonio citati Modenae, & aliorum gravium Virorum, nuper vita functorum: quique locupletissimi testes sunt, utpote testes de visu, ex quorum ore excepimus, quae mox dicturi sumus, asserentium videlicet, quod in navi Ecclesiae e regione Capellae D. Theonesti de-

„ pi-

„ pictus erat idem D. Secundus, militaribus „ vestibus indutus, nomine inscripto, & prope „ eum a dextris gravi specie Pontifex, cujus „ nomen vetustate ferme abrasum, amplius legi „ non poterat, exceptis primis, & postremis lit- „ teris, hoc modo, *S. The . . . . ps. Martyr*, quæ adhuc clare apparebant.

„ Atque hic Sanctus Theonestus noster est ille „ fortassis, de quo mentionem facit Beda in suo „ Martyrologio, sub 21. Junii his verbis: *In Moguntia Natale S. Albani Martyris, qui sub Diocletiano imperatore, de insula Nansia, pergens cum S. Theonesto, & Urso, Mediolanum venit*; quem propterea Vercellis prædicasse, „ ibique Pontificalia exercuisse, & tandem „ pro fide mortem oppetiisse, temerarium non „ est credere. Neque movere debet, quod Be- „ da non meminerit, Theonestum Episcopum „ fuisse. Nam neque Ursum Episcopum appellat, „ cum de cætero Episcopum fuisse, multarum „ Ecclesiarum traditiones suadeant. Inter cæte- „ ras enim Metropolitana Taurinensis, & Cathe- „ dralis Augustana eum, ut Episcopum, publico „ officio colit sub prima Februarii: & in hac „ pariter Ecclesia sub eadem die de eo, tan- „ quam de Episcopo agebatur: & forte non alia „ ratione hic cultus a nobis ipsi exhibebatur, „ nisi quia Theonesti socius fuerat. Hoc enim „ apud nos semper in more positum fuit, ut „ peculiaris memoria haberetur eorum, qui no- „ strorum Episcoporum, & Apostolorum adju- „ tores, sociique fuere.

No-

,, Nolim tamen, ut aliquis Theoneſtum noſtrum cum Altinenſi confunderet, de quo
,, Martyrologium agit ſub 30. Octob.: alium
,, eſſe, plura evidenter evincunt. In primis
,, Theoneſtum noſtrum ſepultum eſſe Vercellis,
,, & in Baſilica Euſebiana, liquido conſtat ex
,, ejus ſepulcro, quod in renovatione Chori pa-
,, tefactum eſt cum inſcriptione lapideo operculo
,, ſculpta *Theoneſtus Chriſti Martyr*; qua de re
,, plenam fidem facit Joannes Stephanus Ferre-
,, rius in vita S. Euſebii, edita Vercellis anno
,, 1609. fol. 126. Id ipſum habetur in vita D.
,, Euſebii manuſcripta, quæ aſſervatur in Ar-
,, chivio noſtro, cui iiſdem ferme verbis adſti-
,, pulatur ea edita ab Ughello ex Monaſterio
,, Nonantulano, in qua poſt narratum Marty-
,, rium S. Præſulis, legitur: *Colligentes vero
diſcipuli ejus Sacrum Corpus, ſepelierant illud
in Baſilica, quam ipſe Vir Sanctus olim con-
ſtruxerat ad honorem S. Theoneſti Martyris, in
qua & ipſe S. Theoneſtus corpore quieſcit*. Econ-
,, tra vero Sacrum Corpus S. Theoneſti Altinen-
,, ſis ſepultum eſt in Cathedrali Tarviſina, ubi
,, ad hæc uſque tempora aſſervatur, & colitur.
,, Deinde S. Theoneſtus noſter D. Euſebium
,, præceſſit; Altinenſis vero multo poſterior
,, eſt, ut ex ejus actis manifeſtum eſt.

,, Hi ſunt Epiſcopi Vercellenſes D. Euſebio
,, Magno antiquiores, quos e tenebris, in qui-
,, bus ſepulti jacebant, eruere potuimus. De qui-
,, bus tamen, etſi nulla notitia ad nos perveniſ-
,, ſet, nullatenus ambigendum eſſet, Eccleſiam
Ver-

„ Vercellensem plures Episcopos habuisse jam „ usque a temporibus Apostolorum. Nam præterquamquod id manifestè evincit Victoria „ Uberti Episcopi Vercellensis contra Brixiensem „ Episcopum, de qua supra, plura insuper suppetunt argumenta, queis idipsum ad evidentiam usque demonstretur. Non est hujus „ loci in medium omnia proferre, alio in loco „ commodius persequenda: eorum unum, vel „ alterum Eruditorum oculis sisto. Et primo „ D. Eusebium fuisse Italiæ Metropolitam, Ecclesiamque Vercellensem hac dignitate potitam „ esse, antequam Eusebius Vercellas adveniret, „ nulli dubium esse potest ex dicendis §. sequenti. Episcopis itaque, & quidem ab antiquo tempore Ecclesia Vercellensis non caruit. „ Tanta enim dignitas nonnisi Ecclesiis praclarioribus, & longo ævo in fide stabilitis concedebatur, ut omnes norunt. Deinde clarissimum est D. Ambrosii testimonium in celebri illa Epistola ad Vercellenses: *Hæc est illa,* ait S. Doctor, *Confessionis institutio, hac justorum soboles Patrum, qui S. Eusebium, quem nunquam ante cognoverant, posthabitis Civibus, simul ut viderunt, & probaverunt, tantumque interfuit, ut probaretur, quantum ut videretur. Merito vir Sanctus evasit, quem omnis elegit Ecclesia: merito creditum, quod Divino esset electus judicio, quem omnes postulassent.* „ Ex quibus verbis evidenter habes Populum „ postulantem, Clerum eligentem :- habes & Ecclesiam plane efformatam, in qua aderant in-

„ ter

„ ter Cives non pauci , qui ad ejusdem Ec-
„ clesiæ Episcopatum aspirare poterant , adeo-
„ que nec tyrones in fide , nec neophyti , sed
„ profecto Catholici , imo doctores , fideique
„ consummatæ , quibus tandem absque suspi-
„ cione tantum munus temporibus adeo diffi-
„ cilibus committi posset ; uno verbo habes
„ Ecclesiam Vercellensem perfecte constitutam,
„ & fidei Magistram, antequam adveniret Eu-
„ sebius . Quare certissime tunc agebatur de
„ dando Successore Ecclesiæ vacanti ; & qui-
„ dem Ecclesiæ olim Metropolitæ , *ex qua* sci-
„ licet , ut loquitur Ambrosius , *aliæ Eccle-
„ siæ sibi Episcopos petere solebant*. Et ita tex-
„ tum Ambrosianum naturaliter intellexerunt
„ gravissimi simul , & eruditissimi Viri , in-
„ ter quos Pater Oliva e sapientissima Socie-
„ tate JESU , qui deinde fuit Præpositus Ge-
„ neralis , to. pr. concion. habit. in Palatio
„ Apostolico coram Alexandro VII. p. 2. ,
„ concion. 46. fol. 76. §. 641. , ubi hæc ha-
„ bet : " *Morto in Vercelli il Prelato di
quella Chiesa , nella pubblica Piazza le urne
giravano per l'elezione del Successore . I No-
minati non erano nè pochi, nè immeritevoli ....
Eusebio Uomo forestiere entrò nella Città .... ,
Appena vide il popolo la maestà di quel volto ....
che in un tratto , rapitolo al trono , l'ac-
clamò Capo del Clero , e colla mitra l'incoro-
nò Pastore della Provincia . L'istoria sta regi-
strata nell' epistola* 82. *di S. Ambrogio ec.*
„ Abbas Fleurius vir procul dubio in suis dictis

 „ con-

„ consideratissimus, atque Sententiarum Patrum criticus scrutator, ac relator fidelissimus tom, 3. hist. Eccl. lib. 13. num. 14. ad annum 354. D. Ambrosii locum sic Gallice reddit : " *A Rome* (Eusebe) *il fut ordonné Lecteur ; ensuite il vint a Verceil, & s'y fit estimer a tel point, que le Siege venant a vaquer; on le preferá a tous ceux du pais*,

„ Atque hæc pauca de antiquitate Ecclesiæ Vercellensis, deque primis ejus Episcopis, obiter, ac quasi perfunctorie delibata sufficiant ; ex quibus de cætero liquido constat, quam enormis, putidusque sit error Joannis Francisci Bonhomii Episcopi Vercellensis, aliorumque, qui ex ipso sumpserunt, statuentium D. Eusebium primum Episcopum Vercellensem.

§. II.

De Dignitate Ecclesiæ Vercellensis.

MAxima equidem dignitas, nobilitasque Ecclesiæ Vercellensis, originem suam ad Apostolica tempora referre ; *Quippe magnum est*, inquit Tertullianus lib. præscrip. adver. hæres. 132., *& invidendum decus posse evolvere ordinem Episcoporum suorum, ita per successores ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Aposto-*

licis

licis viris, qui cum Apostolis perseveraverant, habuerit auctorem. " Quo solo nomine Ver-
„ cellensis Ecclesia inter Principes, & illustrio-
„ res Orbis Ecclesias statuenda esset; quod, &
„ aperte olim indicabat ex testimonio Modenæ
„ vetustissima effigies trium Pontificum Sabi-
„ niani, Potentiani, & Martialis unica ta-
„ bula expressa, quæ antiquis temporibus de-
„ picta conspiciebatur supra atrium portæ
„ majoris Basilicæ Eusebianæ cum subjecta epi-
graphe: *meritis eorum pulchra Vercellis caput inter omnes extulit urbes*. " Quia verò, &
„ alia præclarissima decora inclytam hanc Ec-
„ clesiam priscis temporibus ferme absque exem-
„ plo magnificentissime illustrarunt, præcipue
„ vero honor Metropoliticus, & Primatialis;
„ ideo & de iis nonnulla raptim sunt innuen-
„ da. Quamobrem prænotandum est, Italiam
„ universam priscis temporibus, juxta divisio-
„ nem jam usque ab ævo Augusti invectam,
„ in Provincias XVII. partitam fuisse, qua-
„ rum decem Vicario Urbis, aliæ septem
„ Vicario Italiæ suberant. *Nemini non patet*,
„ (ait sapientissimus vir Dominicus Georgius in
„ eruditissimo opere de antiquis Italiæ Metro-
„ polibus nuncupato Innocentio XIII. Pontif.
„ Max., & edito typis Romanis anno 1722.,
„ cap. 6. fol. 70.) *Italiam ab ipso Augusto in XVII. Provincias fuisse divisam, quarum octo a Consularibus, septem a Præsidibus, & reliquas duas a Correctoribus regebantur*. " Ex his de-
„ cem Vicario Urbis, & aliæ septem Vicario

 „ Ita-

„ Italiæ suberant eo ordine , quo in notitia veteri Imperii Occidentalis describitur . Italiæ Vicarium sedem habuisse Mediolani , ob idque Mediolanum fuisse Metropolim non Liguriæ tantum , sed & Italiæ presse dictæ , juxta laudatam divisionem , Scriptores frequentiori calculo opinantur , & nos absque difficultate transmittimus . *Occidens omnis* (ait Berterius Diatribæ primæ cap. 3.) *sex habet Diœceses , Italiam , Illyricum , Africam , quas Præfectus Prætorio Italiæ : Gallias , Hispanias , & Britanias , quas Præfectus Prætorio Galliarum administrabat , Mediolanum Italiæ , Augustam Trevirorum , Galliarum Metropolim fuisse , probare videntur hæc Athanasii verba in apol. de fuga sua ad Constantium , quæ a Theodorito referuntur lib. 2. cap. 15. Nam nuper cum Ecclesia pace fruerentur , & populus in Synaxibus preces faceret , Episcopus Romæ Liberius , & Paulinus Metropoleos Galliarum , & Dionysius Metropoleos Italiæ , a sedibus suis abducti , & in exilium acti sunt . Affinis ejusdem Athanasii locus in epist. ad solitar. vit. agent. , Paulinus Episcopus Trevirorum , quæ Galliarum Metropolis est : Dionysius Mediolani , quod & ipsum Metropolis est Italiæ .* Hæc Berterius .

„ Ne putes tamen , hæc intelligenda esse de Metropoli Ecclesiastica . *Nibil enim in his locis colligi posse , quod Ecclesiasticis Metropolibus faveat ,* (ait De-Rubeis in monum. Ecclesiæ Aquilejensis cap. 19. num. 5. co-

„ lum.

„ num. 171.) " *præstantissimi viri contendunt.* *Disserte monet Pagius ad annum 332. n. 5. intelligenda hæc esse de Metropolibus civilibus, aut nobilioribus Provinciarum, vel Diœceseon Civitatibus. An vero Paulinus, si verbis Athanasii hæreamus, totius Galliæ Diœceseos, in quatuordecim Provincias tributa, Metropolitanus dicendus fuerit, id nemo somniaverit. Dictus ergo Galliarum Metropolis Episcopus, quod Ecclesiam regebat in Urbe Trevirensi, Imperatorum Sede, ac etiam Præfectura Prætoriana avo illo honestata. Mediolanum, quod superest, sedes erat Vicarii Italiæ, adeoque ab Athanasio Italiæ Metropolis appellatur. Hanc habuisse sanctissimum Præsulem præ oculis Diœceseon, ac Provinciarum dispositionem, satis innotescit ex aliis ejusdem verbis in hist. cit. Arianorum num. 20., ubi narrat Legatos Episcopos missos, Vincentium Capuæ, quæ Metropolis est Campaniæ, Episcopum, & Euphratem Agrippinæ, quæ Metropolis est superioris Galliæ. Capuam jam ostendimus dici ætate illa non potuisse, nisi Metropolim civilem, aut præstantiorem Urbem Provinciæ Campanæ, quum Metropoleos Ecclesiastica prærogativam decimo dumtaxat sæculo obtinuerit. Sed etiam Coloniam Agrippinam octavo sæculo, S. Bonifacio Germanorum Apostolo postulante, jura Metropolitica indeptam esse, consentiunt viri docti. Quæ cum ita se habeant, irrito, vanoque conatu ex Athanasii verbis, Metropolitica Mediolani in Italica Diœcesi dignitas probari solet, cum eisdem in locis unam civilem Provinciarum, ac Diœceseon*

 for-

formam a Constantino positam cogitaret S. Pater.
„ Huc usque De-Rubeis. In eandem senten-
„ tiam summo consensu conspirant alii erudi-
„ tissimi Viri cum eodem Berterio sup. & Do-
„ minico Georgio loc. cit. cap. 17.

„ Enim vero temporibus dumtaxat D. Am-
„ brosii Episcopi Mediolanensis, in Italica Dioe-
„ cesi emersisse jus Metropoliticum Ecclesiasti-
„ cum Ecclesiæ Mediolanensis, constans est Do-
„ ctorum sententia, Hieron. Rubei hist. Ra-
„ ven. lib. 5. De-Rubeis sup. cap. 20. num.
„ 1. columm. 177., Cardin. Lambertini, nunc
„ Benedic. XIV. P. O. M. in adnotatione su-
„ per acta quorumdam Sanctorum Bononien-
„ sium tom. 2. p. 3. num. 17. & 18. fol. 10.
„ & 11., ubi citat. Bachin., Bailet, Mura-
„ tor. Continuatores Bollandi ad xi. Junii,
„ Sandin., & Tillemont., quibus adde Ughel-
„ lum Ital. Sac. tom. 4. de Episcopo Mediola-
„ nensi in S. Ambrosio, de quo ita loquitur:
*tantum sanctitate, & auctoritate valuit, ut Me-
diolanensem Ecclesiam Metropolitanam Galliæ Ci-
salpinæ Ecclesiarum sedem fecerit*.

„ Porro primis illis Christianitatis tempori-
„ bus ea ratio plerumque servata est, ut Me-
„ tropolitani Ecclesiastici constituerentur quidem
„ in aliqua ex nobilioribus Provinciæ Civitati-
„ bus; non tamen quoad fieri potuit in Metro-
„ poli Civili; *ne eadem videretur esse ratio
„ sæcularium, ac Divinarum rerum*, quemad-
„ modum rescripsit S. Leo Martiano Augusto
„ contra seditiosos, schismaticosque Canones

„ 16.

„ 16. & 27. Concilii Chalcedonensis, conditos „ actione 15. habita clandestine ab Episcopis „ Orientalibus, absentibus Legatis Apostoli- „ cis, reliquisque omnibus Episcopis, quibus „ decretum fuerat, *quod Ecclesiarum Parochiarum ordines sequerentur civiles dispositiones, & publicos typos. Et ideo Civitas Constantinopolitana parem deberet habere dignitatem Ecclesiasticam cum Romana, cum qua parem haberet dignitatem sæcularem.* " Hinc ut reli- „ qua exempla caussa brevitatis omittam, non „ Treviris, sed Arelate Metropolitanus Epis- „ copus Galliarum constitutus est, sicuti ha- „ bemus ex epistola 5. 7. & 8. Zosimi Papæ, „ & ex responso dato a D. Gregorio Magno „ Augustino Cantuariensi Episcopo infra refe- „ rendo. Idipsum contigisse in Italica Dioe- „ cesi, manifestum est ex auctoritatibus mox „ adducendis. D. enim Athanasius locis su- „ pra citatis juxta versionem, quæ habetur „ apud De-Rubeis col. 172., narrat in apolog. „ de fuga sua num. 4. pulsos fuisse in exilium, *Liberium Romanum Episcopum, Paulinum Galliarum Metropolis Episcopum, Dionysium Italiæ Metropolis Episcopum, Luciferum Insularum Sardiniæ Metropolis Episcopum, & Eusebium ab Italia Episcopum;*" quo in textu diligenter pon- „ derandum est, quod Liberius Papa dicitur „ simpliciter *Romanus Episcopus*, Eusebius ve- „ ro, nulla facta mentione Civitatis, quam re- „ geret, *ab Italia* Episcopus. Quæ verba haud „ obscure indicant celebrem divisionem Italiæ

„ a Cnſtantino invectam, juxta quam Liberius illi parti, uti Metropolita, jus diceret, quæ Vicario Urbis parebat; Euſebius vero alteri, quæ ſimpliciter *Italia* dicebatur. Interea vero Paulinus dicitur Epiſcopus Galliarum Metropolis, Dionyſius Italiæ Metropolis, Lucifer Sardiniæ Metropolis, ut indicarentur civiles Metropoles, quibus Epiſcopi præſidebant, & ſimul ſecernerentur a Metropolibus Eccleſiaſticis *Romæ*, *Italiæ*, quibus præſidebant Liberius, & Euſebius, quorum primus appellatur Romanus Epiſcopus, alter abſolute *Epiſcopus ab Italia*. Quam interpretationem mire comprobat alia ejuſdem textus verſio apud Ferrerium noſtrum in vita D. Euſebii, edita 1609. fol. 45., quæ legit: *Liberius Romanus Præſul, Paulinus Galliarum Metropolitanus, Dionyſius Italiæ, Lucifer Sardiniæ; Euſebius item Italiæ*. Quibus verbis habita ratione contextus orationis, tam Dionyſius, quam Euſebius evidenter appellantur Metropolitani Italiæ. Et quidem hic poſterior Metropolitanus Eccleſiaſticus; nam civile regimen Vicariatus Italiæ erat id temporis penes Civitatem Mediolanenſem, propter quod Dionyſius dicitur Metropolitanus Italiæ, hoc eſt Epiſcopus Metropolis civilis Italiæ, ut ſupra demonſtratum eſt. Paria ſunt, quæ habet idem S. Doctor in hiſt. Arianorum ad Monacos, ſeu vitam ſolitariam agentes num. 33.: *Claram*, ait, *edidere Confeſſionem Paulinus*

nus Trevirorum Galliæ Metropolis Episcopus, *Lucifer Metropolis Sardiniæ Episcopus*, *Eusebius Vercellarum Italiæ urbis*, *Dionysius Mediolani*; *est autem & ipsa Metropolis*. Verba, *Italiæ urbis*, " clare significant non solum Medio-
„ lanensem, sed & aliam, nempe Vercel-
„ lensem Civitatem fuisse Italiæ Metropolim,
„ primam scilicet in politia civili, secundam
„ vero in Ecclesiastica Hierarchia, ut nuper
„ dictum est.

„ Quod hic sit verus, & germanus sensus
„ allatorum textuum, & quod Civitas Ver-
„ cellensis certissime fuerit ea tempestate Me-
„ tropolis Ecclesiastica, evidenter convincit
„ locupletissima auctoritas, quæ habetur in
„ collectione Labbeana Conciliorum, cujus
„ editio inchoata est Venetiis anno 1728. &
„ absoluta anno 1733. Qua de re sciendum
„ est, quod temporibus Photii de anno 870.,
„ comparuit Liber Synodicus Græce conscrip-
„ tus, continens omnia Concilia celebrata a
„ temporibus Apostolorum usque ad Concilium
„ Costantinopolitanum quartum generale. Ejus
„ auctor incertus est. Andreas Darmarius
„ Ragusinus librum hunc una cum aliis ma-
„ nuscriptis secum Argentinam comportavit,
„ a quo coemptum Johannes Papius ibi Theo-
„ logiæ Professor typis edidit anno 1601., quem
„ & in latinum transtulit, notisque illustravit.
„ Voellus, & Justellus Bibliothecæ Canonicæ,
„ Pater Arduinus collectioni Conciliorum eum
„ inseruere, quod & præstitit Labbè distri-

„ buto

„ buto textu juxta temporum rationem. De
„ hoc libro Allatius in tractatu de consensu
„ Eccles. Lat. cum Eccl. Græca scribit: *Auctor*
„ *Synodici valde plus quisquis ille fuerit* . . .
„ *Synodicon accuratissime confectum temporibus*
„ *Photii*. Ejusdem libri honorabilem mentio-
„ nem pariter fecit tractatus editus Parisiis
„ anno 1724., cui titulus: *Traité de l' étu-*
„ *de des Conciles, & des leurs Collections*, pa-
„ gina 164. & 165. Jam vero Labbè tom. 2.
„ Collect. Concil. præfatæ, reportato integro
„ textu ejusdem libri, Græco quidem, col.
„ 844. & Latine verso col. 843. Acta Con-
„ cilii Mediolanensis sub Constantio ex eodem
„ libro narrat; inter quæ leguntur sequentia:
Propterea Principes hujus Synodi exilio Constan-tius mulctavit: Apostolicarum Doctrinarum præconem Papam Romæ Liberium multis adversus imperatorem argumentis tunc usum, Galliarum item Metropolitas Paulum, & Dionysium, Italiæ Metropolitam Beatum Eusebium, & Luciferum Sardiniæ insulæ Archiepiscopum.

„ De hoc Metropolitico Primatu Ecclesiæ
„ Vercellensis agit Hieronymus Rubeus cit.
„ lib. 5. histor. Ravenn.: *Non enim*, ait, *est incompertum Mediolanensem Ecclesiam Theodosii senioris ætate Vercellensi subjectam fuisse; quemadmodum ex D. Eusebii Episcopi Vercellensis gestis, & D. Dionysii Mediolanensis Antistitis vita, atque item ex actis Concilii Mediolanensis sub Constantio Augusto Ariano celebrati, colligi facile potest. D. enim Ambrosii opera, at-*

que

que causa Metropoliticus honor a Theodosio Imperatore Ecclesiæ Mediolanensi tributus est. „ Hujus „ veritatem assertionis manifesto demonstrant „ ea, quæ statim subdo, decerpta ex gestis, „ & actis a Rubeo indicatis. Nam solius Me- „ tropolitani esse totius Provinciæ curam, & „ sollicitudinem gerere, Ordinationes Episco- „ porum peragere, Provinciam visitare, Ec- „ clesias subjectas opportunis literis commone- „ re, cognoscere de vita, & moribus Episco- „ porum, eorum delictis poenam, vel veniam „ dare, intrusos deponere, aliaque similia „ peragere, res est certo certior. Hæc „ vero omnia D. Eusebium peregisse tum Me- „ diolani, tum in tota Italica Dioe- „ cesi, nemo dubitaverit. Lectiones an- „ tiquissimæ Officii Eusebiani habent: *Ecclesiæ igitur Vercellensis gubernacula, curamque ubi Eusebius, Arianis maxime repugnantibus, suscepit, cœlesti virtute incitatus, forti, constantique animo gessit, quæcumque Fidei Catholicæ profutura cerneret. Neque vero id Vercellis solum, sed in finitimis urbibus aliis, sancta, piaque sollicitudine egit*. Hanc Metropoliticam sol- „ licitudinem etiam quum in exilio ageret, „ non prætermisit Eusebius; quum per se non „ posset, Ecclesias Catholicas, & inter eas „ Mediolanensem, per Epistolas visitabat: *Vi-* „ *sitabat ergo Eusebius* (habet vetustissima vita „ D. Eusebii manuscripta, quæ asservatur in „ Archivio Capituli, cui consonat ea, quam „ ex Archivio Monasterii Nonantulani edidit „ Ughel.

„ Ughel.) *circumquaque Ecclesias Catholicas*, *mittendo illis epistolas suas. Misit etiam ad Urbem Vercellensem dilectissimam epistolam, commonens unamquamque plebem, ut sollicite se custodirent, cauteque agerent, & aliter non crederent, nisi sicut ipse eis verbis ostenderat. Misit etiam ad Ecclesiam Mediolanensem, ut non aliter crederent, nisi quod ab ipso, & a Dionysio suo Episcopo audierant*. Quod officium postmo-
„ dum prosecutus est per se ipsum ab exilio
„ redux: *Audiens vero Cleras Mediolanensium* (habet eadem vita) *cum Populo, & Sereno Vicario, quod B. Eusebius Vercellis esset, legationem ad eum mittunt dicentes: nuper audivimus sanctitatem tuam advenisse, precamur obnixe, ut nos visitare digneris, Domine Beatissime Papa. Beatus vero Eusebius Mediolanum veniens, a Vicario, seu Clero, & Populo honorifice susceptus est, qui eos docens, & confirmans, ad cætera loca perrexit, circumiens, ac diligenter inquirens, si in fide recta ab omnibus perseveraretur, sicut ipse eos olim docuerat*. Alia similia
„ monumenta Metropoliticæ sollicitudinis Euse-
„ bii, ex Tab. Eccl. S. Ilario, & Baronio,
„ refert Ferrer. in vita D. Eusebii edita 1609.
„ fol. 92., eamque potissimum ergà Ecclesiam
„ Mediolanensem luculentissime testatur D. Am-
„ brosius sermone 15. de S. Eusebio juxta edi-
„ tionem Rom., ubi Mediolanenses alloquens,
„ eorum fidem magisterio, & sollicitudini D.
„ Eusebii adscribendam censet. *Quid ergo*, ait S. Doctor, *de Martyris Eusebii gloria prædicem*,

dicem, cujus tota plebs ipsa sit gloria? Et cum dicat Scriptura, gloria Patris est filius sapiens; quanta hujus sunt gloria, qui tantorum filiorum sapientia, & devotione latatur? in Christo enim Jesu per Evangelium ipse vos genuit. Quidquid ergo in hac sanctâ plebe potest esse virtutum, gratiæ, in S. Eusebii Magisterio reperitur. Ex hoc autem, quasi lucidissimo fonte, rivulorum hac puritas emanavit. Non ignoro ab aliquibus „ hunc sermonem Ambrosio abjudicari, & „ attribui tanquam ejus auctori, D. Ma„ ximo Taurinensi. Verum Ferrerius in vita „ D. Eusebii edita 1609. fol. 41. valide hu„ jusmodi calumniam propulsat, atque pluri„ bus ad evidentiam usque demonstrat, non „ D. Maximi, aut alterius cujuscumque, sed „ ipsiusmet D. Ambrosii esse sermonem illum.

„ De Ordinationibus Episcoporum a D. Eu„ sebio peractis plura irrefragabilia suppetunt „ monumenta. Conveniunt uno ore Scriptores „ præcipue Mediolanenses, D. Dionysium a „ D. Eusebio ordinatum fuisse Episcopum Medio„ lanensem. Constat pariter ex antiquissimis „ tabulis Ecclesiæ nostræ, ex vetustissimo An„ tiphonario manuscripto, quo ritu Eusebiano „ adhuc vigente hæc Ecclesia utebatur, & ex „ vita D. Eusebii citata, quam ex Archivio „ Monasterii Nonantulani edidit Ughellus, D. „ Eusebium non Mediolani solum, sed & in „ aliis Civitatibus hoc munere defunctum esse: *In qua Urbe, Vercellis* (habet citata vita) *S. Eusebius Pontificalem tenuit Sedem, & eam* Ca-

Catholica Fide sapienter regebat, & non solum sua Civitatis curam gerebat, fidem rectam ei prædicans, verum etiam sapienter vicinarum Civitatum ordinationes rectas in Episcopis peragens, Civitatibus fidem omnibus tribuebat. Hocque ex-
„ pressis verbis adscribitur Metropoliticæ au-
„ ctoritati Ecclesiæ Vercellensis: *Tunc enim rite sub tanto Pastore sua Civitas Primatum tenebat, qua se, & alias circumcirca vicinas Urbes verbo salutis, & unitatis fide pascebat.* Et paullo post: *Inflammatum est cor Constantii Imperatoris adversus Eusebium, & Athanasium Alexandrinum Episcopum, qui uterque pro defensione Catholicæ Fidei, die, noctuque insistebant, unus regens partes Orientalium, alter vero Occidentalium.* Qua de re etiam luculen-
„ tissimum testimonium habemus in celeberri-
„ ma illa Epistola D. Ambrosii ad Vercellen-
„ ses, ubi S. Pater nitidis verbis indicat jus
„ Ecclesiæ Vercellensis olim exercitum ordi-
„ nandi Episcopos aliarum Ecclesiarum: *Conficior dolore*, ait, *quia Ecclesia Dei, quæ est in vobis, Sacerdotem adhuc non habet, ac sola nunc ex omnibus Liguriæ* (hic ob oculos posuit
„ totam ferme, quanta erat, Ecclesiasticam
„ Vercellensem Provinciam) *atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel cæteris Italiæ finitimis partibus hujusmodi eget officio, quod ex ea aliæ sibi petere solebant*. Demum est compertum om-
„ nibus ex D. Antonino, Mombritio, aliisque,
„ D. Eusebium ab Episcopatu Mediolanensi Au-
„ xentium Arianum Episcopum ejecisse, suffe-
„ cto

„ cto viro Catholico Dionysio, ut supra di-
„ cebamus. Et quamvis veritas historiæ de
„ Auxentio ejecto ab aliquibus in dubium re-
„ vocetur, eam tamen quamplures firmis pro-
„ pugnant argumentis. Qua de re alibi, si
„ Deus dederit, fuso scribemus calamo. Non
„ enim hujus est instituti disceptationes texe-
„ re. Præterea D. Eusebius Dionysium Me-
„ diolanensem Episcopum, quod in Athana-
„ sium subscripsisset, apud se causam dicen-
„ tem, & veniam deprecantem, absolvit: re-
„ liquis item Episcopis, qui in eandem cul-
„ pam inciderant, reatum condonavit, teste
„ Athone Episcopo Vercellensi in sermone de
„ S. Eusebio, impresso apud Ferrerium fol.
„ 176., in quo legitur, quod audiens Eu-
„ sebius lapsum Dionysii, aliorumque Catho-
„ licorum Episcoporum, celeriter Mediolanum
„ contendit, ubi inter eos *locutus pruden-
tiam, cunctis dedit indulgentiam, si ejus dein-
de sequerentur vestigia*. Episcopi pariter, qui
„ in Ariminensi Synodo lapsi fuerant, Euse-
„ bium ab exilio reducem suppliciter conve-
„ nientes, apud eum causam perorarunt. *Con-
currebant Episcopi*, ait Hieronymus, *qui Ari-
minensibus dolis irretiti, sine conscientia hæreti-
ci ferebantur, contestantes Corpus Domini, &
quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil male
in sua fide suspicatos. Putavimus*, ajebant, *sen-
sum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei,
ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in
corde clausum esse, aliud labiis proferri timui-
mus*.

mus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Cristi adversus Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes afferebant, parati & subscriptiones pristinas, & omnes Arianorum blasphemias condemnare. Hæc Hieronymus.

„ Acta vero Concilii Mediolanensis sub Con-
„ stantio nitidissime undequaque Metropoliti-
„ cam Eusebii dignitatem nobis exhibent.
„ Convocato enim Concilio, quum Eusebius
„ interesse renueret, sine quo nihil, utpote
„ Metropolitano, jure agi poterat, legationi-
„ bus, & literis tam a Concilio, quam ab
„ ipso Constantio sollicitatur, ut interfit.
„ Ipsi quoque Legati Apostolici Lucifer, Pan-
„ cratius, & Hilarius animadvertentes fidem
„ in extremum discrimen adductam, orant,
„ & obtestantur Eusebium, ut adveniens sua
„ auctoritate Concilium dissolvat: *Calcato ca-*
„ *pite Diaboli* (habent literæ Legatorum,
„ quæ adhuc apud nos extant) *suggestionibus pravis, Domine Sancte, gratiam tibi a Domino nostro concessam, rogamus, noli negligere, sed ut quantocius te invadente effugetur Arianum dogma, jam accelerare dignare. Scit enim & Dominus, & Christus ejus, quia sicut in adventu Beatissimorum Apostolorum glorificatur Dei nomen in ruina Simonis, ita Valente expulso in adventu tuo dissoluta blasphemantium Arianorum machina penitus destruetur*. In ipso
„ autem Concilio Eusebius omnium primus
„ respondit, & pro omnibus respondit: to-
„ tam

„ tam actionem Concilii direxit; quid cæteri „ Episcopi agere deberent, quis ordo in „ Concilio servandus, quidque in eo agi, & „ definiri deberet, ipse præscripsit. Ejus sen- „ tentia, & judicium omnibus, & præcipue „ Dionysio, pro lege fuit. Hæc omnia habemus „ ex D. Hilario; *Eusebius*, ait S. Doctor, *venire Mediolanum præcipitur „ collecta jam illic malignantium synagoga. Adest cum Romanis Clericis, & Lucifero Sardiniæ Episcopo Conventus, ut in Athanasium scriberet*, ait, *de sacerdotali fide prius oportere constare, compertos sibi quosdam, qui adessent, heretica labe pollutos; expositam fidem apud Nicæam posuit in medio, spondens omnia, quæ postularent, se esse facturum, si pro Fidei professione scripsissent. Dionysius Mediolanensis Episcopus chartam primus accepit. Ubi se profiteri scribendo cæpit, Valens calamum, & chartam e manibus ejus violenter extorsit, clamans, non posse fieri, ut aliquid inde gereretur*. Hæc Hilarius. „ Cæterum irritum fuisse Valentis conatum, „ quem hic refert Hilarius, & non solum „ Dionysium reapse subscripsisse fidei professio- „ ni ab Eusebio in medium prolatæ, sed etiam „ ipsos Clericos Romanos Pancratium, & Hi- „ larium, aliosque Episcopos num. 40., ante „ omnes vero ipsum D. Eusebium notat Til- „ lemont., act 5. de S. Eusebio; atque ex- „ pressis verbis affirmant tabulæ nostræ, qui- „ bus adstipulatur vita D. Eusebii sæpe cita- „ ta, edita ab Ughello his verbis: *subscripsit*

 au-

autem primus huic fidei Eusebius dicens : ego Eusebius Episcopus Civitatis Vercellensium hanc fidem expositam a Patribus nostris & adprobo , & teneo , & qui huic fidei non consenserit , alienum a Catholica fide pronuntio , & judico . Subscripserunt similiter post eum Dionysius Mediolanensis Episcopus , Pancratius Presbyter , Hilarius Diaconus Legati Romanorum ; subscripserunt autem cæteri S. Patres num. 40. *Jam enim Eusebius petitione ab Imperatore promeruerat , ut Lucifer Episcopus , & Legati Romanorum e custodia liberarentur , & eidem Eusebio redderentur* . Quæres , curnam Dionysius Mediola-
„ nensis Episcopus recenter ordinatus , & qui
„ propterea debuit fuisse procul dubio ordina-
„ tione junior , pluribus Episcopis ibidem præ-
„ sentibus , non post multos , sed immediate
„ post Eusebium subscripserit ? Quæstionem di-
„ rimit eruditissius vir F. Pagius in S. Petro
„ n. 2. ibi : *Hierosolymis* , ait , *Concilium actum est , in quo Petrus pro jure Primatus sui , prærogativa suffragii potitus est , in cujus sententiam Jacobus Apostolus , & omnes Presbyteri transierunt , inquit S. Hieronymus epist.* 89. , *quæ est ad S. Augustinum ; ex quo & patet , Jacobum post Petrum sententiam dixisse , quod in illius Diœcesi Concilium haberetur* . Ex quo
„ itaque antiquissimo instituto Dionysius , quod
„ in propria Ecclesia haberetur Concilium ,
„ post Metropolitam Eusebium primus omnium
„ subscripsit. Ad rem redeamus . Denique ipsa
„ artificiosa D. Eusebii indignatio , quam re-
„ feret

„ fert D. Ambrosius, quod sibi in in subscri-
„ bendo præpositus est Dionysius, addita ra-
„ tione, quæ habetur apud Vincent. in spec.
„ Mombrit., & alios: *Nequaquam post filium
scribam, cui auctoritate præsum*; ipse Impera-
„ toris, & Arianorum unanimis assensus in
„ defferendo absque ulla controversia Eusebio
„ primum subscriptionis locum: ipsa præce-
„ dentium actorum rescissio, ut Eusebio suæ
„ dignitatis præeminentia servaretur: Decre-
„ torium subinde Eusebii interdictum, quo
„ in faciem Imperatoris, totiusque Concilii
„ pronunciavit: *Neque ego me vestris sceleribus
polluo, neque filium meum Dionysium, caterosque
sodales meos vobiscum participare permitto*;
„ ipsa demum, mandante Eusebio, Catholico-
„ rum Episcoporum jussibus Imperatoris, &
„ Arianorum resistentia, & subinde ipsa Con-
„ cilii dissolutio ad voluntatem Eusebii: hæc,
„ inquam, omnia, & pacis notæ alia pluri-
„ ma, quæ fas est legere in actis relati Con-
„ cilii, Metropoliticum D. Eusebii Primatum
„ evidentissime manifestant.

„ Ecclesia itaque Vercellensis ævo D. Eu-
„ sebii Metropolitico Primatu indubitanter in
„ Italica Dioecesi potiebatur. At vero eandem
„ fuisse Ecclesiæ Vercellensis dignitatem ante
„ D. Eusebii adventum, uno ore affirmant
„ D. Antonin. Mombrit aliique in vita D.
„ Eusebii, qui omnes eadem phrasi utentes,
„ habent, Julium Papam Eusebium Vercella-
„ rum Episcopum consecrasse, quæ tunc obti-

C 2 „ ne-

„ nebant inter alias Italiæ Urbes Principatum;
„ evidentissime id exprimit Vita manuscripta
„ D. Eusebii, quæ asservatur in Archivio no-
„ stro, cui iisdem ferme verbis consonat ea
„ edita ab Ughello sæpius a nobis citata,
ibi: *orta vero perfidia Secta Ariana, qua pene totum fœdabat orbem tempore jam dicti Constantii Imperatoris, qui jam illectus ipsius Arii vesania, graviter pulsabat Ecclesiasticam fidem, ejusque servatores diversis affligebat modis, præcipue vero Liguriam ipsa pravitas Arianorum deprimebat. Eodem tempore Vercellis, Civitas Liguriarum Primatum inter cæteras Urbes retinebat; quem postea Primatum Mediolanum obtinuit. Sacratus autem B. Eusebius Pontificali stola a Julio summo Pontifice ad destruendam memoratam hæresim, Vercellas dirigitur*. Quid
„ clarius? Ne vero quis ambigat de aucto-
„ ritate, & antiquitate Codicis Nonantulani,
„ unde eam vitam exscripsit Ughellus; sciat
„ ex sententia hujus Auctoris, eum conscrip-
„ tum esse ante annum millesimum ab Anony-
„ mo quodam Sanctorum vitæ collectore.
„ Quod si tantæ antiquitatis est Collector,
„ qui Vitam hujusmodi una cum aliis in eum
„ digessit codicem, quanto majoris antiquitatis
„ esse oportet ejusdem Vitæ Scriptorem ar-
„ chetypum? Profecto nec inaniter loquitur,
„ nec fallacibus innixus fundamentis. Profite-
„ tur enim, *quæ Domino Auctore in hoc nostro opere conscripta sunt de Beatissimo Eusebio Vercellensi Episcopo, & Martyre, ex historiis, &*
chro-

chronicis illustrium virorum, *necnon ex opusculis ejusdem Sanctissimi viri per diversa loca*, *missa relatione Sanctorum Patrum cognovimus*. Quibus ex verbis, *missa relatione Sanctorum Patrum*, quum haud obscure indicet, se nonnulla excepisse a viris adhuc viventibus, palam facit, eam vitam se suscepisse scribendam sæculo quinto vel sexto ineunte. Asservatur & in Archivio nostro exemplar vetustissimum manuscriptum ejusdem vitæ, cujus characteres ex testimonio Eruditorum, qui eos non semel diligenter considerarunt, aperte redolent formam usitatam sæculi sexti, vel septimi. Præterea liquet, Auctorem plura, quæ ibi narrat, accepisse a Scriptoribus coævis, vel fere; inter quos, ut alios brevitatis causa omittam, est D. Ambrosius (si tamen hic ab illo non sumsit) cujus sententias, imo & verba non semel usurpat. Demum ejusdem vitæ fidem confirmant, & augent acta D. Eusebii apud Bonin. Mombrit., quæ plurimi facienda esse, pronuntiat Tillemontius, & jure merito, quum ea profiteatur Mombritius se exscripsisse ex antiquis tabulis, & gravissimis Scriptoribus. Item & ea, quæ prostant apud D. Antonin. Jacob. de Voragine, Petrum de Natalibus, aliosque Collectores, in quibus omnibus unanime habetur testimonium de Primatu Ecclesiæ Vercellensis.

„ Porro ut ea, quæ hucusque dicta sunt „ de Metropolitico primatu Ecclesiæ Vercel-

„ lensis, certa ratione, veluti quodam sigillo
„ obsignentur, adjicere juvat, D. Eusebium
„ Pallii usu decoratum fuisse. Id palam fa-
„ ciunt non solum vetustissimæ effigies ejus-
„ dem D. Eusebii, quæ olim in Basilica Eu-
„ sebiana depictæ conspiciebantur, de qui-
„ bus agit Ferrer. in vita S. Eusebii edita
„ 1609. de primor. Civit. Vercell. fol 30.,
„ sed & nonnullæ, quæ adhuc supersunt,
„ ipsæ pariter antiquissimæ, quæ omnes D.
„ Eusebium repræsentant Pallio Græco insigni-
„ ter ornatum. Accedit gravissimum testi-
„ monium Johannis Francisci Bonhomii asse-
„ rentis idipsum constare, non tantum ex
„ picturis prædictis, verum etiam ex anti-
„ quissimis tabulis, & firmissima traditione
„ Ecclesiæ Vercellensis. Jam vero est certo
„ certius, quod ferme usque ad tempora S.
„ Gregorii Magni soli Metropolitæ, & qui-
„ dem non omnes, honore Pallii dignati
„ sunt, & quod cum usu Pallii illo ævo
„ semper erat stabiliter conjuncta auctoritas
„ Metropolitica, seu Primatialis. Hujus rei
„ plura suppetunt irrefragabilia testimonia,
„ sed pro omnibus sufficiat responsum datum
„ Augustino Cantuariensi Episcopo a D. Gre-
„ gorio Magno, quod refert Beda lib. 1.
„ cap. 27. apud Fr. Pagium in D. Gregorio
„ Magno num. 48. *In Galliarum*, inquit S.
Pontifex, *Episcopos nullam tibi auctoritatem
tribuimus; quia ab antiquis temporibus Prede-
cessorum meorum, Pallium Arelatensis Episcopus
acce-*

accepit, *quem nos privare*, *auctoritate percepta*, *minime debemus*. Vercellensem ergo Ecclesiam
„ Metropolitanam fuisse, nemo prudens dubi-
„ taverit. Adde, quaeso, & serio denique
„ rem tecum reputa, Mediolanenses Archie-
„ piscopos nunc quidem Pallio insignitos esse;
„ illud tamen non accepisse, nisi saeculo sex-
„ to exeunte, a D. Gregorio Magno, uti
„ legitur in hujus S. Pontificis epist. 1. lib.
„ 3.; eoque qui primus usus fuerit, esse
„ Constantium Archiepiscopum, olim ejusdem
„ S. Pontificis Diaconum, quemadmodum li-
„ quet ex Catalogo Episcoporum Mediola-
„ nensium, edito jussu S. Caroli Borromaei,
„ atque ex alio, qui prodiit, auctore Johan-
„ ne de Deis ex manuscripto Bibliothecae
„ Vaticanae, ut hic Auctor asserit, & ex
„ Ughello in eodem Constantio.

Dissertationem universam, vestigiis nostri Dissertatoris inhaerentes, in duas dividemus partes. In prima antiquitatem: in secunda Dignitatem Ecclesiae Vercellensis propugnabimus; in id dumtaxat incumbentes, ut ostendamus, argumentis, & ratiociniis ex adverso prolatis, nihil prorsus contra nos effici.

PARS PRIMA.

De Antiquitate Ecclesiæ Vercellensis.

Convellere fundamenta, quibus opiniones nostræ innituntur, eas criticis observationibus dispungere, ubi alienas à veritate repererit, alte denuntiat Dissertator: *primo loco*, ait fol. 11., *necesse est convellere fundamenta, quibus aliena opiniones adnituntur*; & fol. 13.: *quidquid*, inquit, *à veritate alienum ostendam, criticis observationibus dispungam*. Hoc planè est munus, & debitum ejus, qui impugnatoris vices, & Provinciam sibi demandat, ut validis, positivisque argumentis congredi necesse habeat, nil in medium adducendo, seu asserendo, seu reprobando, quod validis momentis vallatum non fit. Gratuitas enim impugnationes, fatuas esse, ridendas, & ineptas, clamant eruditi omnes. An id contra nos præstet noster Dissertator, videbimus infra, ubi singillatim, & diligenter ejus impugnationes excutiemus, expendemusque. Et si præfari licet; libere dicam. Omnia, quæ adverso congerit, adeo futilia, & inania sunt, ut nihil, præter verba, & dicteria, in iis reperire fas sit. Nugari eum, jure dixeris, non ratiociniis uti. Ad rem accedamus. Ec-

Ecclesiam Vercellensem, unam esse ex antiquissimis Italiæ, nullus unquam dubitavit: & nos pluribus in nostra Dissertatione probamus. Argumentum, inter cætera, petitum à Diplomate Henrici VII. Augusti, quisquis magni ponderis esse dixerit, qui in Historia Ecclesiastica non fuerit admodum peregrinus. Ex hac siquidem, liquido constat eam Ecclesiam, nobilitate præstare, cæterisque præferri (præcisa dignitate Metropolitica), quæ antiquior est; ita ut major antiquitas, majorem quoque honorabilitatem addat, & præcellentiam. Quod adeo verum est, ut Rota Romana decis. 560. num. 7., & 8. par. 19. to. 2., pronuntiare non dubitaverit, *consuetudinem concedentem Ecclesiæ juniori, & inferiori prælationem, reputandam esse corruptelam, & abusum, atque imprascriptibilem esse, tanquam injustam, & contrariam juris dispositioni*. Cum itaque Henricus, eo in Diplomate, *præmissa diligenti deliberatione, atque deliberato consilio Procerum suorum*, se referens ad monumenta Ecclesiæ Mediolanensis, nec non ad longissimam, & inveteratam consuetudinem, petitam à temporibus usque Constantini Magni, ut infra dicam, *Episcopo Vercellensi, tanquam præcellenti, & honorabiliori suffraganeorum Lombardiæ*, decreverit prælationem, & prima subsellia, *excluso ab hac prærogativa Episcopo Brixiensi*; inevitabile est Ecclesiam Vercellensem (*ne dicamus Ecclesiam juniorem, vicisse antiquiorem*, di-

dignitate) vetustiorem censendam esse Brixiensi, quæ de cætero, Mediolanensi, æqualis origine dicitur, hoc est ævo Apostolorum fundata; adeoque ejus exordia referenda esse ad prima tempora nascentis Ecclesiæ.

Nulla hic, ad evadendum latebra, nisi fortassis Ecclesiam Vercellensem, cæteris præferendam dixeris, ob id, quod olim Metropolitana fuerit. In qua sententia est eruditissimus Vir, Franciscus Augustinus ab Ecclesia, Episcopus Salutiensis in Chronol. Præsul Pedem. fol. 133., ibi: *Ecclesia Vercellensis*, ait, *una est ex antiquissimis Lombardiæ; initium enim ab ipso Apostolorum tempore, accepit. Hieronymus Rubeus in Historia Ravennate, scribit, ante tempora D. Ambrosii, in Spiritualibus, Liguriæ Metropolim extitisse. Hinc est, quod erecto in Archiepiscopatum, Mediolano, Episcopi Vercellenses, inter Comprovinciales Episcopos, primas sedes sibi vendicarent.* A qua sententia, fortassis nonnemo haud multum abhorrere dixerit nostrum Dissertatorem, hac utentem ratiocinatione, quam argumento nostro opponit fol. 14. *In votis fumus*, ait, *cognoscendi, quid caussa est, cur Vercellensis Ecclesia, Mediolanensi, in cætibus Provincialibus, in Consecrationibus, aliisque solemnibus tractatibus, non præferatur; si ipsa, dignitate Brixiensem præcessit, quia origine præcessit? Ecclesia etenim Mediolanensis, post conditionem Brixiensis, ope Anathalonis* (Res mira! Brixiensem Ecclesiam, Mediolanensi antiquiorem pronuntiat, & fortassis etiam Barna-

bam.

bam Mediolano pellit) *exordia obtinuit . Gratiis , & privilegiis (Pontificiis) Ecclesia Mediolanensis , ad gradum Primatus Metropolitici , in Gallia Cisalpina* (eccur non in Italica Dioecesi ?) *tempore Theodosii Cesaris , ac D. Ambrosii conscendit , ut Hieronymus Rubeus , paullò post à Theologo citatus innuit . Ita* (nota) *Episcopus Vercellensis , pracipuo primi subsellii , a latere dextro Archiepiscopi , tenendi , privilegio cohonestatus est .* Qui putaverit nostrum Dissertatorem , hoc argumento , cum Francisco Augustino ab Ecclesia sentire , hanc suam opinionem fortè comprobare poterit, tum quia nullus ignorat , quod Ecclesia , alia ratione alteri non præfertur , nisi vel quia antiquior , vel quia Metropolitana . Tum quia, si Dissertator de alio privilegio , præterquam Metropolitico , quo aliquando Ecclesia Vercellensis , potita est , loqueretur , illud juxta regulas rectæ impugnationis , & bonæ critices , teneretur in medium adducere (id autem non præstat) cum inde tota vis impugnationis penderet ; alias convinceretur , assertiones gratuitas , imò & commenta , loco impugnationis obtrudere . Quod de viro docto , nefas est opinari . Quidquid sit de iis .

Positivè demonstro , nullo collato privilegio , sed antiquioritate originis , Ecclesiam Vercellensem Brixiensi præstare . Et quidem memoratum privilegium , ab ipso Henrico VII. collatum non esse , liquet ex Diplomate , in quo legimus , quod Imperator , *volens Episcopo ,*

copo, *&* *Ecclesiæ Vercellensi*, *utpote præcellenti*, *&* *honorabiliori*, *Sedis*, *&* *sui ordinis prærogativam debitam conservare*, *juxta morem diutius approbatum*, eidem decernit prima subsellia. Ex quibus verbis manifestum fit primò, Henricum, non privilegium, aut gratiam Episcopo Vercellensi contulisse, sed quod suum erat, Ecclesiæ Vercellensi justi Judicis munere perfunctum, adjudicasse; juxta prærogativam, quæ eidem Sedi inerat ex longissima, & inveterata consuetudine. Secundò. Non privilegium aliquod, sed *praecellentiam*, *&* *honorabilioritatem* ipsiusmet Sedis Vercellensis, in causa fuisse, cur eidem supra Brixiensem, decernerentur prima subsellia. Profectò si de privilegio, ea in quæstione Vercellensem inter & Brixiensem Episcopos, actum esset, quis non videat, de eo, in Diplomate mentionem necessariò faciendam fuisse? Præterea ejusmodi privilegium, nullis documentis, nullis Doctorum scriptis proditur. Ipse Dissertator, cujus de cætero, magni intererat, de eo aliquod testimonium proferre, ne quidem levissimum unum profert. Itaque jure & merito, illud veluti commentitium, ad quisquilias ablegamus. *Patet ei*, *qui primas criticæ scientiæ institutiones*, *leviter hausit*, *ex communi silentio judicari quidquid historicum*, *veluti falsitati obnoxium*, *si in nullis antiquitatis documentis contineatur*, *quæ in virorum Doctorum cognitionem descenderint*. *Neque opus est*, *ut cognoscatur*, *nullum latere documentum*,

tum , quo facti mentio fiat , ***nullum defecisse*** , *in quo res memoria prodita erat* . Hæc doctrina , quæ verbis expressis est nostri Dissertatoris fol. 18. , ipsum , qui non satis aptè impugnatores agit , prolatis regulis , quæ in ejus caput vertunt , & causam tradunt , apertæ obtrectationis arguit . Paria sunt , quæ sequuntur .

Compertum esse , ait fol. 14. , Ecclesiam juniorem interdum præferri dignitate , antiquiori , origine . Hoc *compertum* , probat ex Elencho , quem affert fol. 15. ex Codice MS. Capituli Metropolitani Mediolanensis , quique relatus legitur to. 1. rer. Ital. par. 2. fol 228., juxta quem , in sessionibus Conciliariis , aliisque Vercellensis Episcopus primum , Brixiensis secundum , & Novariensis tertium locum occupat : *Episcopus Novariensis* , inquit , *tertium in sessione horum suffraganeorum , locum tenet . Primus origine Episcopus Novariensis* (quid sibi velit , *Episcopus primus origine* , alii videant) *extitit D. Gaudentius , consecratus a D. Simpliciano , S. Ambrosii successore . S. Ambrosius circiter anno Christi CCCXCVII. , vita cessit , postquam annos XXVI. menses IV. , & dies V. sederit . . . . . . Quisnam censeat inter XV. Episcopos ; Præsuli Novariensi , postpositos , unum ne quidem rexisse Ecclesiam ante quartum sæculum , ejus ara conditam ? Attamen Ecclesia Novariensis , propius ad quintum avum , fundata , tertia sede , donata est , & ejus Antistes alios Collegas suffraganeos præcessit . Itaque*

Eccle-

Ecclesiam juniorem origine, vicisse dignitate vetustiorem, clarius lucet . . . . . sors, & privilegium honoris locum interdum distribuit.

Obiter ad trutinam revoco ea, quæ asserit de obitu, & de sessione Episcopali D. Ambrosii. D. Ambrosius, ait ipse, vita cessit anno CCCXCVII. circiter. Optime. Nam hoc anno, die sabbathi IV. Aprilis, Cæsario, & Attico Coss., obiisse, auctor est Paulinus: anno vero sequenti, hoc est Honorio, & Euthichiano Coss., asserit Marcellinus. Ambrosium, Episcopatum iniisse anno CCCLXXIV. VII. Decembris, hoc est anno antequam Valentinianus vitam expleset, est certo certius ex eodem Paulino, & Hieronymo, idque expresse docet noster Dissertator fol. 82. Itaque retentis his epochis, quæ indubitatæ sunt, Ambrosius sedit tantummodo annis XXII. mensibus IV., vel ad summum annis XXIII. mensibus quatuor circiter. Qua ergo critice utitur noster Dissertator, dum Sancto Præsuli assignat in Episcopatu, annos XXVI., menses IV., dies V.? Hæc tamen, & alia non pauca his similia, quæ occurrunt in decursu, missa facimus, utpote ad rem nostram non facientia. Ad argumentum.

Ex elencho allato, constat Episcopum Novariensem, tertium occupare locum. Ego inde infero Ecclesiam Novariensem, antiquiorem esse, omnibus aliis, quæ sequuntur, ob illam regulam receptissimam, & pluries in Conciliis stabilitam, quod *posteriores prioribus deferant* *lo-*

locum, Illud, *quisnam censeat*, *inter XV. Episcopos &c.*, hanc regulam non convellit. Nam non *quod fieri potuit*, quod hac interrogatione continetur, sed illud quod factum est, attendi debet: *indubitatæ enuntiationis loco*, ait P. Honoratus a Sancta Maria, *Statuendum est*, *aptam non esse*, *cur factum aliquod amplectamur*, *rationem*, *illud fieri potuisse*. Et hoc, potissimum cum res est adversus regulam, alias certam, ut hic, *quisnam censeat?* Omnes ita censebunt docti, & eruditi, quo adusque oppositum, positive non demonstretur. Meum non est dignitatem, & antiquitatem Ecclesiæ Novariensis tueri, quam certe non exturbat illud, *quisnam censeat*. Ipsi docti Novarienses, qui hoc ævo, tanta cum laude, rebus Patriæ illustrandis incumbunt, ipsi scient, quin opera mea egeant, obtrectatores propellere. Illud certum est, Ecclesiam Novariensem esse ex antiquioribus, & dignioribus Lombardiæ. Eam rexit ante ætatem D. Gaudentii, S. Laurentius Martyr, quem Margarinus Bigneus to. 2. Bibliothecæ veter. Patr. apud Carolum a Basilica Petri, Episcopum Novariensem, Episcopum Novariensem appellat. Eidem, jam usque ab obitu Auxentii, Episcopum tribuit Auctor, quem tacito nomine refert Pucinelli in vita S. Ambrosiii cap. 10. fol. 220., dicens, quod mortuo Auxentio, *Valentinianus Imperator*, *vacante Sede Mediolanensi*, *convocari fecit omnes Episcopos Provinciales*, *Vercel-*

cellensem, *Comensem*, *Novariensem*, *Taurinensem*, *Ventimiliensem*, *Ticinensem*, *Laudensem*, *cæterasque ex finitimis Urbibus*, *& Provinciis*, *ut successorem eligerent*. Eam, in vita MS. S. Gaudentii, quæ est in Archivio nostro, legimus D. Eusebium, & D. Gaudentium, rexisse utrumque simul. Legimus in eadem vita, quod temporibus D. Ambrosii, D. Gaudentius jam *Episcopabatur*, ut ejusdem vitæ verbis utar. Demum ipsius Ecclesiæ antiquioritatem, invicte probat, ipse sessionis locus, qui Episcopo Novariensi in Elencho assignatur. Non est cur immorer in examinanda historia S. Martiani, Episcopi Dertonensis, de qua valde dubitant eruditi, statuentes primum Episcopum Dertonensem, S. Exuperantium, Discipulum S. Eusebii, qui certe antiquior non est S. Gaudentio. Nec urget, aut aliquid officit exemplum S. Diogenis, Episcopi Januensis, qui subscriptus dicitur anno CCCLXXXI. Concilio Aquileiensi. Nam hac epocha, vetustiores procul dubio sunt S. Eusebius Vercellensis, & S. Gaudentius, qui simul Novariensem administrarunt Ecclesiam, ut paulo ante dicebamus. Laudabile sane non est nostri Dissertatoris consilium, qui ut nutantem, & suo pondere ruentem, ultro sibi male demandatam Provinciam, tueatur, Ecclesias inter se committit.

Sors, concludit fol. 16., *& privilegium honoris, locum interdum distribuit*. Contendit nempe honorabiliorem locum, modo sorti, modo

modo privilegio esse deputandam. Ab ipso ne petas, quibus momentis dictum suum comprobet. Nam eidem sat est montes, & maria spopondisse; de cætero gratuitis assertionibus, perpetuo nobiscum contendit, quas confidenter, sua dumtaxat nuda suffultas auctoritate, veluti exploratas veritates, credulis propinat. Mira prorsus res, quod sorti honos, & gloria deputentur; cum ea, quæ sortis sunt, casui dumtaxat sint adscribenda. In nostro casu, res est, meridiana luce clarior. Contentio Vercellensem inter & Brixiensem, Episcopos, de *dignatione* erat, non de sorte, uti habent Ughell., & Murator. Hanc contentionem Ughell. in Othone Archiepiscopo Mediolanensi, dicit in Concilio sub eodem, habito, *ad æquilibrium exactissimi juris, fuisse expensam*. Quis dicat, quæ sortis, & casus sunt, ad æquilibrium exactissimi juris expendi? In textu nostro, habentur verba Diplomatis, Henrici, quæ noster Dissertator non reddit. Ea manifesto produnt de *præcellentia*, & *honorabilioritate*, quæstionem fuisse: *Ex longissima, & inveterata consuetudine* (sunt verba Diplomatis) *juxta morem diutius approbatum, ad Episcopum Vercellensem, tanquam præcellentem, & honorabiliorem suffraganeorum Lombardiæ, eam præminentiam spectare &c. Quæ ubi Henricus intellexit esse vera, deliberato Consilio &c.* Brixiensem Episcopum, a præfatæ prærogativæ beneficio exclusit, decrevitque

Episcopo Vercellensi, prima subsellia. Quid hic sors obtinere potuit?

Nihil præterea hac de re habet noster Dissertator. Nos, antequam Henrici Diploma, e manibus emittamus, unum adhuc notatu dignissimum, subjiciendum ducimus. *Volensque Henricus* (habet Diploma) *Episcopo, & Ecclesia Vercellensi, reverentiam exhibere, ac sedis, & sui ordinis prærogativam debitam conservare, juxta morem Constantini, Prædecessoris sui, quin magis &c., jam dicto Brixiensi Episcopo, a prædicto prærogativa beneficio excluso; cum ipse dictus Vercellensis Episcopus, cæteros suffraganeos, Mediolanensi Ecclesiæ, ordine debito antecedat, præmissa diligenti deliberatione &c. volens jus Vercellensis Ecclesiæ illibate servari &c., voluit, & decrevit præfatum D. Episcopum Vercellensem &c.*

Quibus verbis, haud obscure insinuatur, eundem honorem Episcopo Vercellensi, adhibitum fuisse a Constantino (*volens Episcopo &c. Vercellensi &c. prærogativam debitam conservare, juxta morem Constantini*) & quidem Constantino Magno. Nam cæteros Constantinos, tunc tandem imperasse, cum Longobardi, jam plures annos, Vercellis rerum potirentur, nemo est qui ignorat. Præclarum aliud monimentum, quo ejusdem Imperatoris singularem pietatem, & munificentiam, erga Ecclesiam Vercellensem, testatissimam habemus, adhuc Vercellis est superstes. Basilicam notam sub nomine *S. Mariæ Majoris*, Constantinus Ma-

Magnus, vel a fundamentis erexit, uti habet Atho Episcopus Vercellensis, in sermone de S. Eusebio, apud Ferrer. in Vita S. Eusebii edita Vercellis 1609. fol. 177.: vel Delubrum, olim Veneri Sacrum, idolo inde dejecto, & veteri superstitione expiata, B. Virgini Mariæ, dicandam curavit, uti frequentius legitur, in aliis Ecclesiæ nostræ documentis.

Itaque ævo Constantini Magni, Ecclesia Vercellensis, non solum proprios habebat Episcopos; sed isti præterea, jam tunc, erant prærogativa sedis, & ordinis, cæteris præcellentiores, Metropolitæ nempe, nam nulla alia per id tempus, sedis prærogativa, seu ordinis præeminentia, agnoscebatur, præter Metropoliticam. Quod si nostro Dissertatori displicet, quod majorem dignitatem Ecclesiæ Vercellensis, ab origine petamus; cum eo abundanter agimus, & brevi momento transmittimus non ob antiquioritatem Ecclesiæ, sed ob jus Metropoliticum, ab ea quondam habitum, primas sedes obtinuisse. Cum enim alterutrum sit inevitabile, arbitramur hoc postremum, gratius eidem futurum, imo fortassis, & ex ejus mente descendere, utpote qui paullo ante, ut innuimus, Ecclesiæ Vercellensis antiquitatem impugnaturus, eo argumento usus fuerat, ut diceret, eodem jure Ecclesiam Vercellensem, cæteris suffraganeis præferendam, quo Mediolanensis, nunc omnibus præfertur.

§. I.

De D. Petri Apostoli prædicatione Vercellensi.

EXsufflatis levi momento argumentis nostri Dissertatoris, & invicte contra ea, stabilita antiquitate Ecclesiæ Vercellensis, auctoritate tum Diplomatis Henrici VII., tum Elenchi ab ipso met prolati, examinandam suscipimus Evangelicam D. Petri Apostoli prædicationem Vercellensem prout in Dissertatione nostra, definita reperitur, impugnationes Dissertatoris, ad trutinam revocantes. Quod ut præstem.

Præmonitos lectores benevolos volo, hanc propositionem, *origo Ecclesiæ Vercellensis, vel ad Apostolos, vel ad Apostolorum Discipulos, referenda est*, quæ legitur in Dissertatione nostra, non esse propositionem, quam probem, vel ex traditione, vel ex prædicatione D. Petri Vercellis peracta, sed esse consequentiam legitimam, quam infero ex ibidem præjacta doctrina, petita a Diplomate Henrici VII., sicuti evidenter pandunt ea verba, *Eapropter origo Ecclesiæ Vercellensis &c.*, quibus §. primum nostræ Dissertationis exordimur; doctrinam vero, quam statim eodem §. I. addo, de prædicatione Vercellensi, D. Petri, gratia eruditionis positam esse; quæ prop-

propterea, quamvis deficientibus documentis, tota corrueret, non ob id, vel minimum nutaret veritas illius propositionis, aliunde valide, & per justam consequentiam deductæ. Quare exorbitat noster Dissertator, & a regula rectæ impugnationis aberrat, eo titulo, quem præfigit Capiti primo suæ Dissertationis fol. 11.: *Ecclesiam Vercellensem a D. Petro Apostolo conditam a Fileppo non ostenditur*.

Fateor momenta, quibus Vercellensem prædicationem D. Petri, probo, ad demonstrationem non pertingere. Id ego apertè pando, dum disjunctione utens, dico originem Ecclesiæ Vercellensis, referendam esse *vel ad D. Petrum Apostolum, vel certè ad Apostolorum Discipulos*. Et quidem ad Discipulos Apostolorum referendam esse innegabile ipsemet Dissertator profitetur expressis verbis fol. 22.: *Quomodo credibile est*, ait, *nullum ex Discipulis D. Petri, Roma jam Christiana Fide initiatis, Vercellas conscendisse, ibique sacris præceptis nonnullos informasse*? Petrum verò, ipsum quoque Vercellis prædicasse, si non convincant ea, quæ ibi adducimus, negari tamen non potest, magnam afferre verisimilitudinem, cui nihil contraponi possit. Quod nobis sufficit. Omnes enim norunt, quod in antiquitate adeo remota, historia, non semper undequaque firmis, & certis fulciri potest argumentis: *Que s' il falloit* (ait eruditissimus P. Honoratus a S. Maria, in prefat. præfixa libro, cui titulus: Refle-

xions sur les regles, & sur l'usage de la Critique) *exclurre de l'Histoire Ecclesiastique, & profane, tous les faits, qui n'ont pas la certitude morale, il en faudroit retrancher la plus grande partie, comme ie l'ai demonstré dans plusieurs endroits*. Quare plerumque nos solius probabilis, & verisimilis, contentos esse oportet.

Proferamus jam momenta, quibus prædicationem Vercellensem D. Petri comprobamus. Primum petitur a traditione nostra, quam passim legimus Ecclesiæ ducumentis obsignatam, quorum aliqua sæculum undecimum excedunt, juxta quam Petrus fertur Vercellis prædicasse, ubi in tantæ rei monumentum, dicitur constructa Ecclesia nota, sub nomine *S. Petri la Ferla*. *Reijcimus*, inquit noster Dissertator fol. 18., *hanc traditionem, ut recentem, popularem, prorsus incertam, a credulis invectam, nulla veterum auctoritate fultam*. *Posterioris ætatis testimonia, quibus hanc traditionem* Fileppus *munire possit, insufficientia penitus judicamus, ut apud Doctos, fidem integre efficiant*. Reijciat, ut libet. Nos certè humanæ traditioni, qua parte, locum prædicationis designat, non multum insistimus. Sed qua parte Petrum Vercellis prædicasse edicit, non temnendis testimoniis, quæ si certam non efficiunt fidem, magnam proculdubio afferunt credibilitatem, in Dissertatione nostra fallimus. Imprimis opinione doctorum Virorum afferentium Petrum Roma pul-

sum

sum Edicto Caii Cæsaris, Italiam peragrasse, liguribus Populis, & Lybicis, quorum caput erant Vercellæ Evangelicam lucem intulisse, & usque Secusiam excurisse, uti habent monumenta Monasterii Novaliciensis. Huic opinioni suffragantur ea, quæ habet Natalis Alexander to. 3. Hist. Eccl. edit. Lucæ 1734. fol. 174. Quibus stantibus, quis dixerit D. Petrum, has Regiones, sua prædicatione intactas reliquisse? Quis jure negaverit Vercellensibus Evangelicam prædicationem D. Petri? Dixi *jure*. Nam noster Dissertator, pro libito omnia negat. Demum traditionem de prædicatione Vercellensi, D. Petri, credibiliorem reddit vita MS. S. Sabiniani, eaque vetustissima, quæ asservatur in Archivio nostro. In illa legimus D. Sabinianum primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus, reperisse Vercellis quosdam viros cum nonnullis mulieribus, præceptis Evangelicis jam initiatos. Hos initiatos fuisse a D. Petro, credibilissimum est, juxta relatam opinionem, præcipue quod nullis monumentis proditur, alium ante D. Petrum, Evangelii præconem huc advenisse. Omnia procul dubio, magnam, prout licet in remotissima antiquitate, verisimilitudinem, & probabilitatem præseferunt. Et nescio an multas Ecclesias, ex iis, quæ originem ad Apostolos referunt, fas sit reperire, quæ firmioribus exordia sua stabiliant argumentis. Reliquum est, ut videamus, quibus-

D 4 nam

nam impugnationibus ad ea convellenda, utatur noster Dissertator.

Sed nihil est, quod ab eo expectes. Ipsi negasse sat est. Rationem negandi ne quæras. Hic, & ubique nullam affert. In ejus nuda auctoritate stat omne verbum. Argumentum certe (& est unicum) quo, hoc loco contra nos pugnat, nullius ponderis est: *Ex concessa*, inquit fol. 17., *Vercellis, D. Petri prædicatione, numquid emergit Ecclesia Vercellensis, ante omnes alias Liguriæ, ab eodem Apostolo condita? Imò ex itinere ad Alpes usque Secusiam, a D. Petro, suscepto, ac confecto, & ex accessu ejus in urbem Vercellensem, originis prælatio, in quibusdam Ecclesiis Cisalpinis exoritur. A ratione procul abest, eum zeli ardore fragrantem (ita) Fidei luce non affecisse, ea Liguriæ &c. loca, in quæ recte, obliquèque, incidit, ut Vercellas peteret.*

Ecquis statim non videat parum apti argumenti inanitatem? Nostra assertio est, *Petrum Vercellis prædicasse*. Dissertator eam impugnat dicendo, priusquam Vercellis, & in aliis locis prædicasse. Sed nos nusquam diximus Ecclesiam Vercellensem, esse antiquiorem cæteris Ecclesiis Lombardiæ, ob id, quod D. Petrus ibi prædicaverit. Ipse nihilominus clamare pergit; ex prædicatione Vercellensi D. Petri, non inferri Vercellensis Ecclesiam conditam esse ante cæteras Liguriæ. Deinde absone sumit Evangelij prædicationem, pro Ecclesiæ fundatione, quasi hæc duo, inter se valde

valde diversa, essent una, & eadem res. Et demum concludit: *Igitur consentaneum est, alias Urbes in finibus hujusmodi Regionis positas, a D. Petro, Christi praeceptiones excepisse, priusquam Vercellas, prope Alpes, sitas, pertigerit*. Non in aliis Urbibus dumtaxat, sed & in pagis, & villis utcumque modicis, in itinere obviis, verisimile est, D. Petrum prædicasse, antequam Vercellas accederet. Quid inde? Numquid ideo concutitur nostra assertio, qua dicimus Petrum Vercellis prædicasse? Numquid dicimus Petrum Vercellis prædicasse, priusquam in aliis locis.

Lepidius est, quod subdit fol. 19.: *Fileppus*, inquit, *consulto silentio involvit miram causam, qua præfata Ecclesia* (S. Petri) *appelletur* la Ferla, *quod de ea loqui, pudori est*. *Ego erubescentia solutus* (en ingenuam viri probi confessionem) *enarro hanc, quæ si somnium non redoleret &c.* Totam narrationem, pro qua perperam citantur Tabulæ Archivii nostri, ego ipse commentitiam pronuntio. Numquid ideo Petrus Vercellis non prædicavit? Eam cuderunt Gorbellinus, & Cusanus, sæculo elapso, jam adulto. Nuncupatio Ecclesiæ sub nomine *S. Petri la Ferla*, antiquissima est, eamque obsignatam habemus pluribus in monumentis, inter quæ est Liber Ritualis, sæculo octavo, haud dubiè vetustior; ex quo discimus non ferulam illam commentitiam, sed historiam aliam testatissimam pluribus documen-

mentis, & Diplomatibus Imperialibus, humiliori nuncupationi, causam dedisse. Quapropter noster Dissertator (liceat hìc mihi, uti sententia viri doctissimi) *Spectra quadam sibi effingit, quibuscum belligerare paullulum valeat : & cum nihil solidi carpendum offenderit, coactus est, ut suo genio faceret satis, obtrudere pueriles ineptias, gerras siculas, cavillationes, & vitilitigationes, supraquam dici potest, ridiculas.*

Fortassis solidius, & gravius est, quod sequitur: *D. Barnabam*, ait fol. 21., *in Gallia Cisalpina, prædicasse, nullatenus credibile est; ergo* (*infert* Fileppus) *Si Petrus Vercellis prædicavit. O elegans jocandi genus! O mira vis Dialectica! qua pressus, unum, & alterum nego. Si Petrus, & Barnabas, soli ex numero Christianorum, eo temporis, terris* (ita) *degissent, suo ratiocinio devicti ad suam caussam adduceremur. Quomodo credibile est, nullum ex Discipulis D. Petri, Romæ jam Christiana Fide initiatis, Vercellas conscendisse, ibique sacris præceptis, nonnullos informasse?*

Hoc argumentum tamen, cæteris felicius non est. Hìc me carpit Dissertator, veluti paralogizantem; jure ne an injuria, mox patebit. Nos equidem non solum, credibile non putamus, nullum ex Discipulis Petri, ab eo Vercellas directum; quod imo D. Sabinianum, hac legatione functum, docemus expressis verbis. Sed cum ante Discipulorum mis-

missionem, nonnulli Vercellis reperti fuerint, præceptis Evangelicis jam initiati, quos initiatos oportet vel à D. Petro, vel à D. Barnaba, qui soli ex Apostolis, produntur ab Auctoribus, hùc advenisse, conjicimus inde D. Petrum, ibi ea semina fidei fudisse, cum credibile nequaquam sit D. Barnabam, hasce Regiones attigisse. Et hoc est, quod tradimus in Dissertatione nostra. Num hanc doctrinam impugnet illud: *Quomodo credibile est nullum ex Discipulis D. Petri, Vercellas conscendisse, ibique sacris praceptis nonnullos informasse?* Et num ideo irrisionibus excipiendus sim, quod dixerim Petrum Vercellis ante missionem Discipulorum prædicasse, quia nequaquam credibile est, D. Barnabam hoc munus ibi obiisse; judicent Eruditi. Non ne hìc possem, & quidem potiori jure, Dissertatori nostro ingerere humanas formulas, quibus adeò liberaliter mihi favet: *O mira vis Dialectica! o elegans impugnandi genus!* Sed id prohibent Ecclesiasticæ moderationis jura.

§. II.

De D. Sabiniani, Vercellensi prædicatione, & Episcopatu.

NOster Dissertator, adversus propositionem, qua in Dissertatione nostra dicimus, D. Sabinianum prima Evangelii semina à D. Pe-

D. Petro Vercellis jacta, excoluisse; omnes suæ vastæ eruditionis, & critices thesauros effundit, Caputque secundum suæ Dissertationis, hoc magnifico titulo inscribit: *Traditio*, inquit fol. 22., *prædicationis peracta Vercell's à D. Sabiniano, & edicta à D. Petro, ac Dignitatis Episcopalis, Vercellis ab eo obtenta, ab omni veri specie, remotissima demonstratur. Fileppus aberrationis, ac commenti revincitur. Epocha D. Sabiniani, corrupta, & depravata, ex legitimis documentis restituitur*. Quisquis speciosum hunc titulum legerit, procul dubio judicarit, me in gravissimum errorem, lapsum esse, & mæra commenta effutiisse. Hac de re demonstrationes pollicetur Dissertator: Videamus an stet promissis.

Primum inamovibile telum, quo desperatò se causam meam prosternere gloriatur, petit ab auctoritate Sulpicii Severi lib. 2. Sac. hist.: *Pro nostra causa testimonio*, ait fol. 22., *dicentem audiat Theologus Sulpicium Severum, Scriptorem peritissimum, & antiquioris fidei testem, qui sæculo V. claruit. Hic persecutionis mentionem agens, a qua, Antonino Vero imperante, atrociter excitata, Ecclesia Lugdunensis, & Viennensis, duodequinquaginta Martyrum laureis, decorata fuere, Martyres ante id temporis, in Galliis, nullos protulit*: Hujus periodi intellectum, quis assequatur? Sulpicius ne, *nullos Martyres, in Galliis protulit ante tempora Antonini Veri*? Id utcunque ridiculum, est quod expressis verbis dicit eruditissimus Dissertator.

Ele-

Elegantiora non sunt, quæ sequuntur; imò & in quamplurimis aliis, Grammaticæ præcepta neglecta, quisque facile norit, qui attente legerit. Sed *de minimis non curat Prætor*, ait Juris Consultus. Bene quidem; & ideo forsan excusandus Dissertator, si de cætero, saltem solide rem ageret. Verum rationi dicendi, cætera omnia critices, eruditionis, & argumentationis, egregie respondent. Hoc veluti perfunctorie adnotasse sufficiat, non carpendi animo; sed ne veritas, quam ipse tanti facit, a nobis contempta videatur. Sequitur textus Sulpicii: " Sub Au„ relio, *ait*, Antonini filio, persecutio quin„ ta agitata, & tum primum, intra Gal„ lias, martyria visa, serius trans alpes, „ Dei Religione suscepta. " Subdit fol. 23. veluti de prostrato hoste, triumphum agens: *Theologus hoc telum excutiat, sed frustra, ac jacturam suæ caussæ sentiat. Si enim*, prosequitur, *Gallia nullum Marci Aurelii tempore vetustiorem habuerint, & S. Sabinianus in Galliis sanguinem fuderit, patet profecto, nec eum mandante Petro Gallias petiisse, nec Vercellis prædicasse, nec ut Pontificem, primis æræ Cristianæ annis Ecclesiam Vercellensem rexisse, nec eandem Ecclesiam eo temporis, exordia habuisse*. Confutat deinde, & erroris damnat fol. 24. Orosium, quod dixerit Fidem Christi, Neronis tempore, ubique propagatam fuisse. Demum affert testimonium Gregorii Turonensis, asserentis cum Sulpicio, nullum in Gal-

Galliis, martyrio coronatum, ante ætatem Marci Aurelii. Non pauca hic, lepide adnotari possent, quæ iterum nostri Dissertatoris, concinnum dicendi genus, & aptam argumentandi formam manifestant. Sed ea docto lectori, adnotanda relinquimus. Nam ne ad ista, animum intendamus, prohibet exitiale telum, quod contra nos, horrendum in modum, intorquet; quo, faxit Deus, ne prosternamur.

Sed rectè quidem, quod mihi optime, contra ferocem, exsultantemque hostem, in tempore adest doctissimus, atque eruditissimus Vir, P. Natalis Alexander. Hic hist. Eccl. to. 3. fol 184. edit. Lucæ 1734., Dissertationem sedicesimam instituit sub hoc titulo: *Quo tempore Gallis, annuntiari captum sit Evangelium*. Initio Dissertationis dicit nonnullos eruditos asserere, Gallis lucem Evangelicam non affulsisse ante sæculum tertium; *Contra istos, subdit, uti sequenti propositione pugnemus, nos adigunt, & veritatis amor, & gentis nostræ gloria*. Dixeris hisce verbis reprehendi, haud sane laudabiles nostri Dissertatoris conatus, qui sponte, & nullo cogente, propriæ Ecclesiæ decora eversurus, in arenam descendit. Et statim subdit Alexander, hanc propositionem; *Religio Christiana ante tertium sæculum, stabilita est in Galliis, imo & ante secundum. Siquidem certo probatur viros Apostolicos primo sæculo, in varias Galliarum Provincias, Evangelii lumen intulisse*.

ſe, Propoſitionem, pluribus adductis, invicte probat: oſtenditque S. Trophimum in Gallias veniſſe primo ſæculo, & Arelatenſem Eccleſiam fundaſſe: veniſſe item S. Creſcentem, qui Viennenſem: veniſſe S. Martialem, qui Lemovicenſem: veniſſe S. Paulum, qui Narbonnenſem conſtituit: veniſſe S. Dionyſium Areopagitam, qui Pariſienſem erexit; omnes Apoſtolorum Diſcipulos. Obiicit fol 192. contra propoſitionem, ex Sirmondo, & Launojo, auctoritatem Sulpicii Severi lib. 2. Sac. hiſt., qui eſt locus a Diſſertatore ad nos proſternendos allatus; & reſpondet his verbis: *Id quod de Gallicana Marci Aurelii perſecutione ſcripſit Sulpicius Severus, ſine certo Auctore protuliſſe*. Profert deinde contra Severum, Epiſtolam Eccleſiarum Lugdunenſis, & Viennenſis, miſſam ad Eccleſias Aſiæ, & Phrigiæ, ab Euſebio relatam lib. 5. hiſt. Eccl. cap. 1.. Poſtea, addit; *non eſt ergo, cur concilietur Severo fides, id aſſerenti ex voluminibus, hac de re ab ipſo perlectis, quæ non extabant..... Unde ex propria mente, & abſque Auctore ſcripſit Severus, ſub Aurelio primum, intra Gallias, viſa martyria, & Religionem Chiſtianam, ſerius trans Alpes ſuſceptam. At non tanta auctoritatis eſt in re hiſtorica, ut ipſi contra traditionem, tanta nube teſtium firmatam, credi debeat, maxime cum, multos in errores, intra unam, aut alteram paginam lapſus ſit, & evidenter oſtendatur falſitas epocha, ab illo conſtituta*. Proſequitur oſten-

ostendere palmares errores, quibus Sulpicius Severus, historiam suam aspersit; & contra eum adducit auctoritatem Orosii, quem dicit Scriptorem ipso accuratiorem. *Praterea*, inquit, *falsam esse Martyrum Gallicanorum, & suscepta trans Alpes Religionis epocham a Sulpicio Severo constitutam ..... demonstrat plurium Episcoporum, & Martyrum, qui Discipuli Apostolorum fuere, & ab iis in Gallias missi sunt, consignata sacris fastis memoria, ut S. Sixti, primi Remensium Episcopi, quem Apostolorum Principis, Discipulum fuisse constat .... sic S. Julianus, Canomanensis Episcopus, B. Petri Discipulus ..... sic SS. Sabinianum, & Potentianum, Martyres Senonenses, a S. Petro missos, sub Nerone passos, testantur Beda in Martyrologio ad xxxi. Decembris, vetus Martyrologium MS. Bibliotheca Corbejensis, & aliud Martyrologium MS. Bibliotheca Thuanea, & duplex chronicon MS. S. Petri vivi, apud Senonas. Qua omnia diserte ostendunt Fidem citius trans Alpes, & maxime in Galliis susceptam fuisse, quam Severus Sulpicius scribat.* Demum fol. 193., & 194., fusè probat, neque Gregorio Turonensi, cum Sulpicio, sentienti, quo ad hoc fidem adhibendam esse. Cum Alexandro sentiunt plures primæ Notæ, Scriptores, quos in medium adducere supervacaneum censemus, cum iste pro omnibus, nobis sit. Nunc dic quæso mi Pater Critice, num telum excussum sit? Num aberrationis, & commenti sim revinctus? Colligant inde lectores, quam solida sit Censoris

ſoris noſtri Critices, & quantis tenebris, in re hiſtorica, cæcutiat ejus mens.

Idem eſto judicium de iis, quæ habet fol. 25., ut Acta SS. Sabiniani, & Potentiani, à nobis prolata, impugnet: *Fidem meam, inquit, ab Actis Martyrum Sabiniani, & Potentiani, ut apocryphis removeo*. Rationem dat: *neque enim proſequitur, Auctoris nomine munita, neque à Scriptore, vetuſtate, & eruditione aſperſo* (optima phraſis) *firmata circumducuntur*. Intendat Lector, relatis mox verbis, duo à Critico noſtro, copulativè requiri, ut fides Actis Sanctorum, adhiberi poſſit; nempe, & quod Acta ſignata ſint nomine Auctoris, & quod Auctor ſit vetuſtus, & eruditus. An utcumque requiratur: & an neceſſario Auctor debeat eſſe doctus, & eruditus? Eruditi ipſi judicent.

Amænius eſt, quod ſequitur: *Uſuardus*, inquit fol. 26., *qui Senonibus proximus, in antiqua Senonum traditionis ignorantia, verſari vix poterat, aſſerit SS. Sabinianum, & Potentianum, non a Petro, ſed a Pontifice Romano, miſſos fuiſſe*. Et ſtatim affert verba Uſuardi, quæ ſunt hujuſmodi: *Apud Senonas Beatorum Sabiniani, & Potentiani, qui a Pontifice Romano, ad prædicandum directi, eandem Metropolim, martyrii ſui confeſſione, illuſtrem fecerunt*. Heus! Quia miſſi ſunt a Pontifice Romano, ergo falſum eſt miſſos eſſe ab Apoſtolo Petro? Quis hæc audiens, attonito ſimilis non hæreat? Hæc & alia ſimilia,

 qui-

quibus referta est Patris Critici Differtatio, piget longius perfequi. Unde libenter ea praeterimus. Fortassis erunt adscribenda vitio, vel Typograghi, vel Amanuensis.

Jam vero, quod ipse fidem suam, ut ajebat fol. 2;., removeat ab Actis SS. Sabiniani, & Potentiani, quae extant apud Surium, parum, refert. Cuperem, ut saltem aliquod momentum probabile afferret, ob quod caeteri ab ipso, & ipsi eisdem Actis fidem denegare debeant. Validius est illud, quod petit fol. 27. a Manuali Senonensis Ecclesiae, quod editum ait anno MDLV., ex quo, hoc instaurat argumentum: Laurentius martyrio affectus sub Valeriano, & Vincentius, pro fide caesus sub Diocletiano, in Litaniis praeferuntur Sabiniano, & Potentiano: ergo Sabiniano, & Potentiano antiquiores sunt. En ejus verba: *Laurentius*, inquit, ex citato Manuali, *Archidiaconus Romanus sub Valeriano, martyrio affectus, ac Vincentius Caesaraugustanus Diaconus sub Diocletiano, Fidei caussa & ipse caesus, in Litaniis Sabiniano, ac Potentiano praeferuntur; quod non est infimum vetustatis argumentum*. Argumento adeo infirmo, & quod pejus est, petito a recentissimo monumento, quodque martyrium S. Sabiniani non sub Marco Aurelio, aut sub Decio, sed in aetatem Diocletiani coniicit, audet noster Criticus, antiquitatem Sanctorum Sabiniani, & Potentiani in Actis apud Surium, ad commenta reijcere. Et quod mirabilius

est,

eſt, ipſum non pudet nos repræhendere, ac veluti re bene geſta, confidenter concludere: *Hæc recentia figmenta, quæ tot Eccleſiarum, veræ fundationis tempori, & tot rerum veterum veritati, tenebras offundunt, extemplo humi jacent, dum ea, juxta critices regulas* (hic, & ubique deſiderantur) *ad evellendam falſitatem; & ad tuendam veritatem inſtitutas, alte ſpectantur. Eadem navi* (nota virgam cenſoriam) *Theologus vehitur, & in eoſdem ſcopulos incidit*. Lepidiſſime.

Unum adhuc verbum, antequam hinc diſcedamus. Memini noſtrum Diſſertatorem dixiſſe fol. 23., dum ageret de Vita MS. SS. Sabiniani, & Potentiani, quæ eſt in Archivio noſtro: *tandem MS. paullo poſt, examini ſubjiciendum, cui* Fileppus *innititur, apocryphum eſſe, & falſitate refertum, probe omnibus lucet*. Unde, nam quæſo, id omnibus lucet? Legi, perlegi, & iterum attentè legi, ejus Diſſertationem, num aliquid invenirem, quo illa vita MS., critico examini ſubijceretur, ejuſque falſitas demonſtraretur; & ne verbum quidem hac de re occurrit. Tota vis critices (ſi hoc nomine appellanda eſt) & eruditio noſtri Diſſertatoris, ſe confert (infeliciter quidem, ut vidimus) ad reprobanda Acta, quæ proſtant apud Surium; & præterea nihil. Ex quo, ea naturalis oritur conjectura, ipſum accepiſſe Acta apud Surium, ac ſi eſſent eadem cum iis, quæ extant in Archivio noſtro. Omiſſis aliis, quæ hic, hac de re, perbellè

adnotari possent ; ab ipso tantum inquiro , num Acta nostra perlegerit , num examinarit , num expenderit , num contulerit cum iis quæ habentur apud Surium ? Fortassis non affirmabit. Hoc æquum est credere, de Viro, qui se critices regulis plane instructum profitetur , quique hujus examinis , & collationis nullum verbum facit . Præterquamquod, certum omnino est , ea ipsum ne quidem vidisse. Forte fragmenta a nobis allata, iisdem, vel ferè , verbis reperiuntur in Actis apud Surium . Hoc saltem adnotare debuerat . Omisit autem. Num ergo Acta sunt eadem? Consulat regulas bonæ critices .

Ast tandem comperi , ab ipso Acta nostra non reprobari . Id mihi compertum est ex iis , quæ habet fol. 28. 29. & 30., ubi prætermissis Actis , totum se se agitat , ut me, & Modenam carpat. De Canonico Modena , hæc habet initio suæ Animadversionis fol. 28.: *concessa moliter fide Modena , qui sapius de rebus patriis , errore (ita) versatur &c.* Quibus verbis , inconcinnè hunc Historicum, veluti frequentium errorum, in historia Patriæ , reum damnat . Quod loco maximæ injuriæ , ducendum est . Nam Historia Modenæ , Viri absque dubio accuratissimi , & eruditi , quam adeò immoderate repræhendit, inedita est. Autographum MS., summa diligentia , veluti pretiosa suppellex , custoditur apud Equitem, concivem nostrum . Illud fortassis noster Criticus nunquam legit , vel si

legit ,

legit, certè obiter id fecit, quin ea considerarione uti potuerit, quæ necessaria est ad censoriam virgam erigendam. Et tamen adeo confidenter repræhendit, erroris damnat, ac si illud, & in eo contenta, critico diligenter subjecisset examini. Nempe Critico hujusmodi, fas est, more novo, censorie distringere absque delectu, tum ea, quæ legit, quam ea, quæ non legit.

Omisso Modena, ad me conversus, carpit primo, quod inferam S. Sabinianum fuisse Episcopum Vercellensem, ex verbis citatæ Vitæ MS., quæ habent: *contigit dispositione Dei, & affatibus summi Apostolorum Petri, Martyres Christi, Savinianum, Pontianum, & Altinum, Italiam velociter pervolare &c. Vercellis autem, Fidei Cristianæ, quosdam viros, cum paucis mulieribus, in itineris cursu baptizaverunt, & documentis spiritualibus, pleniter instruxerunt*. Ad hæc: *Quisnam*, inquit. fol. 29., *dum Italiam velociter pervolat, ibi sedem figit, & sedem Pastoralem collocat? Quisnam, cum velociter Italiam pervolans, ad ultimum populosæ gentis Galliarum finem expetat, in urbe Vercellensi, quæ non in ultimis Galliarum finibus jacet, residet, & Pontificali munere fungitur? Quisnam quum in itineris cursu sit, colles properat, urbis Senonum mœnia aggrediatur, potest moram sibi inferre, ac Episcopatum alibi inire, ejusque administrationem gerere?* Carpit secundo, quod dicam, Auctore Clarissimo Irico, *Noster Pontifex primus*

 quod

quod in ea Vita, legitur, indicare scriptorem ejusdem vitæ, fuisse Vercellensem quendam: *Auctor ejusmodi MS.*, inquit eodem fol. 29., *hac verba subdit*: " Noster Ponti-,, fex primus ". *Quid inde? Quum certo certius sit D. Sabinianum fuisse Senonum Præsulem, est cur ejusmodi MS., uni e numero Senonum adscribatur*.

Impugnationes nostri Critici, sunt ubique pares. Admonitum ipsum volo, quod sedem Episcopalem, non diuturnitas temporis infert, sed munus Episcopale, utcumque breve. Habemus D. Sabinianum Vercellis prædicasse, & baptizasse, quæ tunc munia erant Episcopalia. Rectè igitur dicimus, potissimum si iis addas auctoritatem veterum Kalendariorum, de quibus infra, eum Vercellensem fuisse Episcopum, quamvis adeo brevis fuerit ipsius commoratio, ut quasi pervolasse censendum sit. Id erat positum in more, primis æræ Chistianæ temporibus, ut Apostoli, eorumque Discipuli, Civitates, & Provincias, veluti prætervolarent prædicantes, baptizantes, & Ecclesias fundantes. Quod testibus Mediolanensibus Scriptoribus, accidisse legimus in D. Barnaba, qui primus Mediolanensis Archiepiscopus statuitur, licet *aliquod* tantum *diebus moratus Mediolani* dicatur in Historia celeberrima, seu Catalogo sex priorum Mediolanensium Antistitum apud Puricell. Nazar. cap. 2. num. 3. circa fin., ubi verba, *& aliquot in eadem moratus diebus*, majoribus characteribus

bus exarata cernuntur. Ipsum D. Barnabam festinanter, reliquas Lombardiæ Civitates peragrasse, & ubique Ecclesias fundasse, ita ut teste Clarissimo Sormano, plures Civitates, eum in Episcopum sibi arrogent, quin potiori jure dici possit Episcopus Mediolanensis, quam aliarum Ecclesiarum, quas peragrando fundavit, tradunt docti Mediolanenses frequenter. Hic equidem, si vellem, opportunè ad modum accideret, rependere vices nostro Critico. Ipse superius Dialecticam nostram irridebat, quam tamen defendimus. Argumentum, quod hic contra nos ipse instaurat, nil aliud reddit, nisi: Sabinianus modico tempore, moratus est Vercellis, ergo non fuit ejusdem Urbis Episcopus. O elegans (reponere possem) jocandi genus! O mira vis Dialecticæ! qua pressus, antecedens transmitto, vel si mavis, concedo, & nego consequentiam.

Porro Clarissimus Iricus Sententiam suam de Episcopatu Vercellensi D. Sabiniani, petitam ab illis verbis, *noster Pontifex primus*, comprobat ex cultu, quem in hac Ecclesia, uti proprius Episcopus habuit, & habet S. Sabinianus. Quod cum ex toto, reprobare non audeat noster Criticus, contentus dixisse, *veri speciem magis, magisque præseferre, Sententiam asserentem, unum Senonum fuisse laudati MS. auctorem, quod S. Sabinianus ab Ecclesia Senonum, veneretur, tanquam eorum Antistes*; totum se confert, infelicibus, ut assolet, argumentis,

ad convellendum cultum, quem in hac Ecclesia obtinet S Sabinianus, tanquam proprius Episcopus: *Si Sanctus Sabinianus*, inquit eodem fol. 29. (*eloquitur* (ita) *Iricus*) *& socii colebantur peculiari celebritate, in Ecclesia Vercellensi, tanquam proprii suæ Urbis, & Diœcesis Episcopi, (tempore, quo illa usum Ritus Eusebiani habebat) quare eadem, eodem cultu, tempore, quo Ritum Romanum sumpsit, & retinet, illos non prosequitur? Forsitan tandem, temporum cursu, & hominum observatione compertum fuit, eos Cathedram Episcopalem, Vercellis, non occupasse. Quare Fileppus prætermisit in efformanda primorum Præsulum serie, Pontianum, sive Potentianum, ac Altinum, qui erant socii S. Sabiniani? Quare ipsemet refert in catum Episcoporum, Potentianum, agens de vetustissima effigie trium Pontificum, Sabiniani, Potentiani, & Martialis, una picta tabula, expressa, & sita juxta Modenam, super atrium majoris januæ, Basilica Eusebiana, subjecta epigraghe*, " meri-
„ tis eorum, pulchra Vercellis, caput inter
„ omnes, extulit Urbes" ; *& quare hic Pontianum, ab elencho Primorum Præsulum, rejecit? Quare hi tres Pontifices, eandem* in præfata *tabula, gloriam olim obtinuerunt, nunc in Catalogo a Fileppo, efformato, eandem non subeunt sortem? Quare omisso hic Potentiano, qui una cum Martiali, in prædicta tabula, sedem diutius habebat, Martialem, Sabiniani successorem creat, qui absque dubio, thiara Ecclesiæ*

clesia Lemovicensis, decoratus effulget? Video rerum confusionem, sententiarumque instabilitatem (detur venia) resque ad arbitrium confectas.

Non est cur satisfaciamus nostro Critico, quærenti quam ob causam, post acceptationem Breviarii Romani, intermissus fuerit cultus S. Sabiniani, & aliorum Præsulum Vercellensium, qui sederunt primis nascentis Ecclesiæ sæculis, cum satis superque sit ad intentum nostrum, eos antiquitus cultos fuisse, uti Episcopos Vercellenses. Conjectura, quam affert, nempe cultum intermissum fuisse, quia procedente tempore constitit eos, Vercellenses Episcopos non fuisse, par est reliquis, nempe planè futilis, & inanis. Nam quamvis Episcopi Vercellenses, non fuissent, ideo ne desinebant esse Sancti? Putus defectus Episcopatus Vercellensis, profectò non poterat eos privare cultu Sanctis debito, quem perpetuo habuerunt in hac Ecclesia, præsertim quod plures alii, in hac ipsa Ecclesia, coluntur, à Kalendario Romano extorres, qui Vercellenses Episcopi non fuerunt. Nihilo secius, æquo, & bono jure, cum ipso agere volo, ejusque curiositatem explere. Ritus Romanus ab Ecclesia Vercellensi, susceptus est sub Episcopo Bonhomio, anno MDLXXV., quibusdam Ritibus Eusebianis retentis, qui adhuc vigent, ea expressa adjecta conditione, ut quædam Sanctorum festa, præcipuè Sanctorum Episcoporum, inter quos S. S. Sabinianus, & Mar-

Martialis, quæ ibidem ex antiquissima consuetudine, Officio, & Missa, celebrabantur, retinere liceret, deinceps tamen celebranda Ritu Romano. id constat ex Actu Capitulari diei 10. Decembris, ejusdem anni, & ex Edicto diei XVII. Januarii MDLXXVI., jussu Episcopi Bonhomii, promulgato. Sed quia pleraque omnia, lectiones, orationes, & Missam, proprias habebant, eas examini S. R. Congregationis, juxta Decreta, subjicere necesse fuit. Interim verò, dum res in deliberatione versatur, Missæ, & Officia, intermissa fuere, paucis exceptis, quæ idem Episcopus Bonhomius, extemplò approbari curavit. De reliquis, nec ipsi deinceps licuit, gravissimis aliis Catholicæ Religionis, ut notum est, curis districto, & jam propè exitum vitæ constituto: & nemo amplius fuit, qui cogitarit (quod diuturnis hujus Ecclesiæ viduitatibus, & Episcoporum, ad alia animum, & sollicitudinem avocantibus occupationibus, nec non perpetuis fermè bellis, queis hæc Patria dirè jactata, penè concidit, adscribendum est) nisi quod aliqui Successores Episcopi, nonnullorum Sanctorum, pro modo propriæ devotionis, gloriam zelantes, longas declinantes ambages, circuitusque, iis brevi compendio resectis, eorum Missas, & Officia, de Communi celebrari præceperunt. Quod demum Eminentissimus, & Reverendissimus D. Cardinalis Carolus Vincentius Ferrerius fel. record., hujus Ecclesiæ Præsul zelan-

lantiſſimus , præſtitit relatè ad omnes , qui in antiquis Kalendariis deſcripti reperiuntur , ex quorum numero ſunt Sabinianus , & Martialis, præhabita Romæ anno MDCCXL. , ubi ob Comitia Papalia, quibus Benedictus XIV. feliciter regnans , electus eſt , verſabatur, diligenti , hac de re , conſultatione , prout liquet ex ejus Edicto diei xxix. Aprilis anni ſequentis MDCCXLI.

Nunc de aliis, quæ à me poſcit , ſatisfacio . *Quare* , inquit , *Fileppus prætermiſit in efformanda primorum Præſulum ſerie , Fotentianum , & Altinum , qui erant Socii , S. Sabiniani ?* Viciſſim ab eo quæro ; quare Mediolanenſes , inter ſuos Epiſcopos , non ſtatuunt, omnes ſocios S. Barnabæ , quos Catalogus citatus ſex priorum Archiepiſcoporum Mediolanenſium , dicit ab eodem aſſumptos , *in prædicationis exequendæ miniſterium* ? Quare etiam non ſtatuunt Marcum , Comitem Barnabæ , quem Carolus à Baſilica Petri Epiſcopus Novarienſis in Vita xi. priorum Archiepiſcoporum Mediolanenſium fol. 19., dicit veriſimile eſſe , quod fuerit Barnabæ adjutor in prædicatione Mediolanenſi ? Ulterius ab ipſo inquiro, cur inter Epiſcopos Romanos, non ſtatuit D. Paulum , quem pari vigilantia , & ſolicitudine cum D. Petro, ſcimus Romæ , prædicationi Evangelicæ adlaboraſſe : quique una tabula, ſæpiſſimè depictus cum D. Petro, ſpeciem præſefert Confundatoris Eccleſiæ Romanæ ? De utroque equidem S. Leo Papa , hæc ha-

habet : *Isti sunt viri , per quos tibi Evangelium , Roma resplenduit : Isti sunt Patres tui , verique Pastores , qui te Regnis cœlestibus inferendam . . . condiderunt* . Conijcit ne in his , & aliis similibus , quæ omnia afferre , longum esset , noster Criticus , *rerum confusionem , sententiarumque instabilitatem , unde res ad arbitrium confictas pronunties* ? Ab ipso , de his satisfactionem expecto . Interea breviter dico , me inter Episcopos Vercellenses , Sabinianum , & Martialem , non verò Potentianum , & Altinum , statuere , quia illos dumtaxat in dypthicis , & Kalendariis Eusebianis , Episcopos Vercellenses , appellatos lego ; Divos verò Potentianum , & Altinum , quia Episcopos Vercellenses , appellatos non reperio , ideo ne res ad arbitrium confingam , Episcopis Vercellensibus non adnumero.

Atque hæc sunt ea omnia , quæ noster Criticus , ut nos erroris convincat , congerit adversus Episcopatum Vercellensem , D. Sabiniani . In quibus , quisnam demonstrationem, aut saltem apparentem impugnationem repererit ? Cuncta , si dicere licet , jactantiam præseferunt ; sed adeo vacua sunt , & inutilia , ut apposite prorsus , eruditus quilibet pronuntiaverit : *Parturient montes , & nascetur ridiculus mus* . Paria sunt , quæ sequuntur .

§. III.

§. III.

An D. Martialis floruerit primo Ære Christianæ sæculo : & an fuerit Episcopus Vercellensis ?

NOster Differtator fol. 34. Martialem, non sub Nerone, sed sub Decio, floruisse, pro certo, more suo, pronuntiat. Id probat auctoritate Gregorii Turonensis, *quo*, ait, *nemo vetustior, & verior exhiberi potest.* Deinde multis inutiliter congestis, id ipsum comprobare nititur; à quibus afferendis, ne tempus frustra teramus, libenter supersedemus; sed nec iis refellendis immoramur. Illi dumtaxat opponimus Natalem Alexandrum, qui omnium ad instar, nobis est. Doctus hic Auctor Hist. Eccl. to. 3. differt. 16. fol. 188. edit. Lucæ 1734., pluribus adductis, quæ huc regerere, supervacaneum est, invictè probat adventum in Gallias D. Martialis, primo sæculo Ære Christianæ accidisse. Postmodum fol. 193. fusè diluit objecta, petita ab auctoritate Gregorii Turonensis, quæ sunt eadem, allata à nostro Critico; & fol. 194. vers. *Respondeo secundò*, ostendit historiam Gregorii scatere multis nævis, & erroribus, quos ait condonandos esse, Auctoris simplicitati, & credulitati. Quia verò noster Criticus, hìc f. 35. utitur auctoritate P. Annati in appar., rogo ut ipsum consulat fol. 236. edi-

edit. Venetæ 1701., quæ est ab ipso citata, ubi leget communem, & antiquam Lemovicensium traditionem esse, plurium veterum Breviariorum, & Martyrologiorum lectione firmatam, Martialem Gallias petiisse à Petro missum, primo nascentis Ecclesiæ sæculo. Quæ cum ita sint, quorsum tandem, tanta, tamque immodica, in suis assertionibus, confidentia? Nec illa, qua animadversionem suam concludit, verecundior est. Definit enim fol. 41., nulla ne quidem levissima ratiuncula allata, fragmentum M. S., quod est apud Modenam, de quo supra, esse partem cujusdam exemplaris, descripti ex archetypis vitiatis. Nempe fallacissimo sensu suo, causam gravissimam judicat, quæ sola ratione æstimari debet.

Pari iniquitate judicat antiquissima Kalendaria Eusebiana. Inter ea, unum est, quod testantibus characteribus, certissimè ante sæculum octavum, conscriptum, nobis exhibet Sanctos Sabinianum, & Martialem, Episcopos Vercellenses. Reliqua omnia antiqua Kalendaria, idem habent. Probationem inde desumptam, esse unam in hac facti specie, ex validioribus, pronuntiant doctissimi Viri, Mabillonius, & P. Honoratus à Sancta Maria: *Fontes Ecclesiarum traditionum*, ait P. Honoratus, *appello Auctores Ecclesiasticos qui nobis illas tradiderunt, Martyrologia, Breviaria, aliosque libros, Ecclesiæ usui delectos*. Noster Judex extemplò eod. fol. 41., nul-

nullo præmisso examine, sententiam fert: *Kalendarium illud extare ad lucem rebus Eusebianis eripiendam*. Et fol. 42., nulla vel levissima sui dicti ratione allata, definit illud conscriptum esse post sæculum octavum. Quid iniquius? Postmodum, eidem fidem abrogare nititur, quod primis æræ Christianæ temporibus, conscriptum non sit; ac si tantæ antiquitatis monumentum, & inconcussa antiquissima Ecclesiæ Vercellensis, praxis, levis, aut nullius esset ponderis. Demum, quasi ejus assertum pro lege esset, concludit his verbis: *dum hoc loci res remanet, suspicio nos movet, nosque eò ducit, ut illud judicemus opus sæculorum pinguis Minervæ, redolentium figmenta, & fabellas*. Sententia lata est. Rationem ne quæras. Nam stat pro ratione, voluntas; ni velis suspicionem pro ratione esse. Et quidem *suspicio nos movet*, inquit, *ut judicemus*. Suspicio nos movet, ut judicemus? Quis unquam ob nudam suspicionem, sententiam tulit, nisi judex iniquitatis? Ab ea itaque, tanquam inordinata, irregulari, injusta, temeraria, & legibus bonæ critices adversante, provocamus ad eruditos Criticos. Ipsi decernant, an jure, opus aliquod ob solam suspicionem, falsitatis, & commenti, damnari possit, nullo tantæ damnationis prolato momento? Id enim quod addit, ut judicium suum comprobet, nempe Ecclesiam Vercellensem, post acceptationem Breviarii Romani, præfatos Sanctos,

Ka-

Kalendariis non inseruisse ; est jam à nobis supra , satis superque convulsum . Neque aliquid efficit , quinimo in ipsum vertit , quod habet fol. 43. : *Kalendaria* , inquit , *&* *Breviaria* , *apud nos* , *quo ad humanam historiam* , *ea auctoritate pollent* , *quam hac tempestate* , *apud Criticos obtinent* . Qua auctoritate polleant apud ipsum , scire non interest . Apud Criticos certè , si sint antiquissima , maximam obtinent , & reputantur , veluti *fontes Ecclesiasticarum traditionum* , ut paulò ante ex Mabillonio , & P. Honorato , adnotavimus . Sed ait : *quædam in iis inserta sunt*, *nullo publico Romanæ Ecclesiæ judicio* . Quid inde ? Ergo ne in historia , ea dumtaxat fidem humanam merentur , quæ pubblico Ecclesiæ Romanæ judicio , sunt comprobata ? Ita quidem dicere necessariò foret , si ejus assertum , aliquid evinceret , uti est manifestum : Et sic ab Historia Ecclesiastica , procul essent eliminanda , veluti nullius auctoritatis , Diplomata Imperatorum , & Regum , Inscriptiones , testimonia Scriptorum , uno verbo , omnia monumenta utcunque gravia , de quibus Romana Ecclesia , publicum judicium non tulerit . Quod quam absonum sit , & à sensu omnium Doctorum abhorrens , nemo est qui non videat . Hanc esse nitidam Dissertatoris mentem , ipse met ulterius pandit , ea doctrina , quam statim in testimonium sui dicti adducit ex Melchiore Cano citato fol. 43. : *Ne in me* , *modicæ fidei* , inquit , *suspicio-*

picionem conjiciat , neque damnet Fileppus , audiat Melchiorem Canum , qui hac de re , varia brevissimè animadvertit . Exinde affert verba Cani , quæ sunt hujusmodi : *Primùm in maximo illi errore versatur , qui rerum gestarum memorias , tanquam Ecclesiæ oracula accipiunt , si eas in Epistolis , & Decretis suis , Pontifices , aliquando usurparunt . Non est idem , mihi crede , historiæ approbatio , & usurpatio . Utitur quidem interdum Pontifex , si quicquam suadere capit , receptis opinionibus , sententiis , rebusque vulgatis ; at non continuò quæcumque in hunc usum attulerit , ex Sedis Apostolicæ judicio probat . Aliud quippe est suadentis munus , aliud definientis . Qui pronuntiat , res veras ille adfert , qui suadet , nonnunquam etiam verisimiles . Itaque imprudentium hominum erit , historias quasvis , obiter etiam , & ad præsentem caussam , a Pontifice adductas , non aliter amplecti , atque eas , quæ sint Ecclesiæ certo judicio comprobatæ .* Huic doctrinæ addit & oraculum Benedicti XIV. Pont. Max. de Servor Dei Beatif. lib. IV. par. II. cap. XVII. dicentis , *Apostolicam Sedem non judicare , inconcussa esse , & certissima veritatis , quæcunque in Martyrologium Romanum , inserta sunt .* Has doctrinas , licet verissimas , & maximi ponderis , extra chorum afferri , omnis eruditus dixerit . Quid enim Lecytho cum Strophio ? Seu , quid commune habet cum veterum monumentorum auctoritate , historiæ vel approbatio , vel usurpatio a Ponti-

ficibus , in suis Epistolis , & Decretis facta ? Quid ad eorum firmitatem , vel levitatem cognoscendam conducit , quod Pontifex , omnia , quæ in suis Decretis , & Epistolis ex historia refert , Ecclesiæ certo judicio non comprobet ? Imprudentium utique hominum est , rerum gestarum memorias , tanquam Ecclesiæ oracula accipere , per hoc quod in Epistolis , & Decretis suis eas , Pontifices , aliquando usurparint . Nunquid id eo imprudentium hominum erit , rerum gestarum memorias , antiquis monumentis comprobare , & Ecclesiarum traditiones , veteribus Kalendariis , quæ juxta Criticos , sunt fontes Ecclesiasticarum traditionum , fulcire ? Non sunt equidem inconcussæ , & certissimæ veritatis , omnia , quæ in Martyrologium Romanum illata sunt . Ergo ne Martyrologium Romanum , aliarumque Ecclesiarum vetera Martyrologia , Kalendaria , Breviaria , nullius erunt auctoritatis ? Utcumque doctrina Cani , & oraculum Benedicti XIV. , prorsus absurde , & extra chorum , afferantur , ex iis tamen, prout adducuntur , liquido constat id sentire Dissertatorem nostrum , ut Kalendaria nullam mereantur fidem , si Ecclesiæ certo judicio non comprobentur . Jam vero , quod *inconcussæ , atque certissimæ veritatis* , censenda non sint , & quod ut oracula Ecclesiæ accipi non debeant , nos ultro fatemur . Quod vero gravissimæ sint auctoritatis , & fidem a cordatis , jure sibi deposcant , nullus , nisi temerarius

rarius negaverit. *Igitur*, veluti re bene gesta, noster Dissertator concludit fol. 44. , *Igitur ex Breviariis*, *& Kalendariis*, *quæ sæpius mutantur*, *nihil unquam certi erui potest*, *nisi effecta fuerit eorum emendatio*, *innixa traditionibus rerum*, *juxta leges asserendæ veritatis*, *exploratis*, *& excussis*. Formalissima utique non est hæc consequentia, neque legitime deducta ex præjactis doctrinis, ut patet. Sed id Dialecticis examinandum relinquimus. Doctrinam certe, quæ hic traditur, nullus eruditus æquis excipiet auribus, qua noster Cricicus, adversus Criticorum effata Sacratiora, Kalendaria & Breviaria, non solum Vercellensis Ecclesiæ, sed & aliarum Ecclesiarum, indiscriminatim, & sine delectu, tanquam sublestæ fidei, & *ex quibus nihil certi erui possit*, damnat, atque emendanda pronuntiat.

Quæ demum postremo loco addit fol. 44. de Constantini Magni baptismate, quod nonnulla Breviaria dicunt susceptum Romæ, de manu S. Silvestri Papæ, & ipsa vacua prorsus sunt, & irregularia. Nam Breviaria illa, quod ad hoc, manifesti erroris convincuntur, testimonio gravium Auctorum, qui & longe ipsis antiquiores, & Constantino vel coævi, vel suppares fuerunt. Hi sunt, prout citantur a Dissertatore, Euseb. lib. 3. de Vita Constantini, Socrat. lib. 1. hist. cap. 39., Theodoreti lib. 1. cap. 31., Sozomen. lib. 2. cap. 34. In has omnes citationes tamen

error irrepsit, quem autumo potius vitio Typographi adscribendum esse, quam Dissertatoris. Errorem tu corrige, & dic, Euseb. lib. 4. de Vita Constantini cap. 62., Socrat. lib. 1. cap. 26., Theodoritus lib. 1. cap. 32. Sozomen. lib. 2. cap. 32.. Isti omnes uno ore affirmant Constantinum non Romæ de manu Silvestri, sed prope Nicomediam, morti proximum, de manu Eusebii Nicomediensis, baptizatum esse. Quid inde? Num ergo, quia Breviaria illa, in hoc puncto errarunt, dicendum pariter est, errasse Kalendaria Vercellensia, statuentia SS. Sabinianum, & Martialem, Episcopos Vercellenses? Hanc consequentiam, regulæ Dialecticæ, & Leges bonæ Critices, non patiuntur. Si suppeterent testimonia æque gravia, queis Episcopatus Vercellensis, SS. Sabiniani, & Martialis, convelleretur, non invitus dicerem, æque in hoc errasse Kalendaria nostra, ac Breviaria illa, relate ad Baptismum Constantini. Ast Pater mi Admodum Reverende, nullum huc usque, ne leve quidem, contra Kalendaria nostra attulisti, sed nudo tuo dicto, totam egregiam animadversionem tuam confecisti. Eruditi certè omnes, fidem deferent Kalendariis antiquissimis, quæ temerata esse non constat, potius quam tibi, recentissimo, & non nimis docto, atque ultro in propriæ Ecclesiæ dedecus, te ingerenti, nullaque fulto, auctoritate, & ratione, clamanti, & asserenti, ea nullam mereri fidem.

§. IV.

§. IV.

An Apostoli, & Apostolorum Discipuli, Episcopales sedes mutaverint?

FRequenter Apostolos, & Apostolorum Discipulos, sedes Episcopales mutasse, assero in Dissertatione mea, his verbis: *Porrò primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus, cum messis multa esset, operarii autem pauci, non poterant Apostoli, & Christi Discipuli, uno in loco, diù consistere, quos oportebat, & aliis gentibus evangelizare. Sed cum aliquam Ecclesiam aliquando excoluissent, & gubernassent, ad alias properabant, quæ eorum opera, maximè indigebant. Ex quo factum est, ut plures Ecclesiæ, unum, eundemque in Episcopum, & Apostolum, successivè habuerint. Quod Vercellensi Ecclesiæ contigisse scimus &c.* Hæc doctrina adeo certa, & explorata est, ut nonnisi per summam inscitiam, in dubium vocari possit. Eam passim, veluti historicum dogma, tradunt Scriptores. Ego certè, qui ab hac sententia alienus sit, qui non ista docuerit, novi neminem. Audi virum præstantissimum, Natal. Alex. to. 3. hist. Eccl. fol. 198. edit. Lucæ 1734. versic. *Denique*, agentem de S. Dionysio, primum Episcopo

Athenienſi, deinde Pariſienſi: *Denique, cum Apoſtolorum Diſcipulis*, ait, *SOLEMNE fuerit, dilatandæ per univerſum Orbem, Fidei gratia relictis ſedibus, quas fundaverant, ad alias Regiones, & gentes, migrare, ut teſtatur Euſebius lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 31., nemini mirum videri debet S. Dionyſium, relicta Athenienſi Eccleſia, in Gallias ad prædicandum Evangelium, profectum fuiſſe, & Lutetiæ Pariſiorum, zelo Apoſtolico ſingulariter incumbentem, ſedem Pariſienſem fundaſſe, atque ſuſcepiſſe adminiſtrandam*.

Et tamen, quis crederet? Noſter Diſſertator Hiſtorico Criticus, audet me hallucinatione deluſum appellare, quod iſta docuerim; & contra exploratiſſimam veritatem, non veretur, hoc inverecundo titulo, caput 3. ſuæ eruditiſſimæ Diſſertationis, inſcribere: *Mos Eccleſiæ*, inquit fol. 31., *primis æræ Chriſtianæ temporibus, obſervatus, oſtendit Fileppum, hallucinatione deluſum, dum Sedium Epiſcopalium mutationem, ea tempeſtate, in Eccleſiam inducit*. Mirabilis equidem confidentia? *Sedium Epiſcopalium* (proſequitur exordiens egregiam ſuam Animadverſionem) *mutationes, vetus Eccleſiæ Diſciplina mos damnat. Apud Occidentem, Epiſcopus ſponſi inſtar, primis Eccleſiæ annis habebatur, & is, qui prima ſua Cathedra omiſſa, alteram adibat, adulterii labe infectus videbatur*. Ergo ne adulter Petrus, qui ab Antiochena ad Romanam: adulter D. Barnabas, qui a Medio-

diolanensi ad Brixiensem, & successive ad Bergomensem: adulter D. Anathalon, qui à Brixiensi ad Mediolanensem: adulter S. Dionysius, qui ab Atheniensi ad Parisiensem: adulteri demum tot Sanctissimi Christi, & Apostolorum Discipuli, quibus solemne erat ab una ad aliam Ecclesiam transire? Socrates lib. 7. hist. Eccl. cap. 35. Longum Catalogum texit Episcoporum, qui a pristina Sede ad aliam migrarunt, dicens, quod *res erat planè indifferens, apud veteres, quoties Ecclesiarum usus poscebat, Episcopum ab una Civitate ad alteram transferre*. A Socrate relatis, Natal. Alexander addit Magnum Eustachium, qui a Beroeana ad Antiochenam: Maximum, qui a Diospolitana, ad Hierosolymitanam: Eudoxium, qui a Germanica ad Antiochenam: Methodium Martyrem clarissimum, qui ab Ecclesia Olympi ad Tyriam, migrarunt. Pelagius II. Papa Epistola ad Benignum Archiepiscopum data XIII. Augusti Indictione XIV., hoc est anno DLXXXI., interrogatus de translationibus Episcoporum, respondet: *Exigit, inquit, dilectio tua, consulta, Sedis Apostolicæ, si licitum foret Episcopum transire, aut mutare de Civitate in Civitatem, dum quidam Canones, ut tibi videtur, hoc fieri prohibent ..... Quapropter scias frater dilectissime, aliud esse causam necessitatis, & utilitatis, & aliud causam præsumptionis, & propriæ voluntatis. Non ergo mutat Sedem, qui non mutat mentem: id est, qui non causa avari-*

tiæ , aut dominationis , aut propriæ voluntatis , vel suæ electionis , migrat de Civitate in Civitatem , sed causa necessitatis , aut utilitatis mutatur. Nam & plurimorum utilitas , unius utilitati , aut voluntati præferenda est . . . . . Quis enim unquam audet dicere Sanctum Petrum Apostolorum Principem , non bene egisse , quando mutavit sedem de Antiochia in Romam? Aut quis negat ob id , Sanctum esse , aut meritum unquam Apostolatus tam in Cælis , quam in Terris perdidisse ? Aut quis negat Sanctos esse multos alios Episcopos , qui de Civitatibus ad Civitates translati sunt , aut meritum Pontificatus perdidisse ; quorum nomina si cæperim enumerare , ante dies pertransiet , quam hæc omnia scribi possent ? . . . . . Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas , qui hoc negant , causa utilitatis , aut necessitatis fieri posse. In Concilio Toletano XVI. anno DCXCIII. legimus Felicem de Hispalensi Sede ad Toletanam , Faustinum de Bracarensi ad Hispalensem , & Felicem de Portucalensi ad Bracarensem sedem , fuisse translatos . Hadrianus II. in Epistola ad Episcopos Synodi Duviacensis , data VII. Kal. Januarii , Indictione V. , hoc est anno DCCCLXXI. , interrogatus & ipse de translationibus Episcoporum , respondet verbis Antheri Papæ , ut sequitur: *Antherus Papa* , inquit , *in Epistola sua , quibusdam eum de mutatione Episcoporum de Civitate , in Civitatem , consulentibus : scitote , inquit , communi utilitate , atque necessita-*

ſitate, *eam fieri licere*, *ſed non libitu cujuſquam*, *aut dominatione*. *Petrus namque Sanctus Magiſter noſter*, *& Princeps Apoſtolorum*, *de Antiochia*, *utilitatis cauſa translatus eſt Romam*, *uti ibidem potius proficere poſſet*. Alia affert exempla, & poſtea ſubdit: *& alios nonnullos*, *ſicut Tripartita Hiſtoria ſeries prodit*, *legimus*, *pro temporis neceſſitate*, *de una Eccleſia fuiſſe mutatos in aliam*, *quia aliter tractanda eſt*, *neceſſitatis ratio*, *aliter voluntatis*. Stephanus V. aliis VI. in Epiſtola ad Baſilium Imperatorem a Baronio relata anno DCCCLXXXV., Marinum Pontificem a calumnia vindicans, eum antea alterius Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe negat, deinde addit, quod etiam ſi id verum eſſet, potuerit tamen in Sede Principis Apoſtolorum collocari: *Quid vero*, inquit, *Magnus ille Gregorius*, *cognomento Theologus*? *Nonne Nazianzo translatus eſt*? *Et Meletius*, *Sebaſta*, *Antiochiam*? *Et Doſitheus*, *Seleucia*, *Tharſum Ciliciæ*? *Et Reverentius*, *Archiphanice*, *Tyrum*? *Joannes*, *Loxdonia*, *Proconneſum*? *Theodorus*, *Apamea*, *Selymbriam*? *Alexander*, *Cappadocia*, *Hierapolim*? *Et multi alii*, *diverſis in locis*, *translati ſunt e ſuis ſedibus ad alienas*? Numquid iſti omnes adulteri? Ah vaſtæ eruditionis Criticum? Quem profecto, auctore Socrate, loco ſupra citato, oportet *tum Canones*, *tum alias res ad Eccleſiarum utilitatem*, *non rarò geſtas*, *penitus ignoraſſe*.

Num

Num saltem absurdissimam assertionem, aliquo colorat fuco? Absurda absurdis cumulat. Ut enim probetur, quod in more positum erat primis ætæ Christianæ temporibus, id proculdubio præstandum est adductis momentis, quæ eadem tempora afficiant. Ast noster Criticus, novo instituto, veterem Disciplinam, moremque nascentis Ecclesiæ, demonstrare contendit exemplis petitis a sæculo IX. exeunte, & Sanctionibus ab Ecclesia editis sæculo IV.: *Id adeo Sacrum erat*, ait fol. 31., *ut annis pene nongentis, hæc consuetudo* (nempe, quod nemo absque adulterii nota, de una ad aliam transiret Ecclesiam) *vigorem servaverit; quo Formosus, Pontifex Maximus* (Cathedram Petri ascendit anno DCCCXCI.) *culpa aspersus censebatur, quod relicta sede Portuensi, quam adimplebat, recenti exemplo, altissimum Romani* Pontificatus fastigium, conscendit . . . . *Concilium Nicænum* (habitum est anno CCCXXV.) *can. XV. translationes Episcoporum de una Ecclesia in aliam, prohibuit, irritasque decrevit .... quod Synodus Sardicensis* (habita est anno CCCXLVII.) *can. I., dehinc strictius edixit*. Hæ sunt infelices demonstrationes, nostri docti Dissertatoris; quas, quod pejus est, si quid ponderis haberent, ipsemet paulò post, expressis verbis evertit, asserens fol 32. hujusmodi Canones, ad Apostolos, Apostolorumque Discipulos, non pertinere; sed editos fuisse contra avaros, & superbos Episcopos, qui humani

mani honoris, & pecuniæ libidine, ab inferioribus, ad majores, pinguioresque, anhelabant Ecclesias; *qua exsolutos fuisse* ait, *primorum ævorum Episcopos*.

Porrò Stephanus VI. aliis VII., in illa Latiocinali Synodo, contra Formosum convocata Romæ, anno DCCCXCVI. ad finem vergente, huic non morem primitivæ Ecclesiæ, sed spiritum ambitionis objecit: *Cum Portuensis esses Episcopus*, Formosum veluti viventem, sacrilege compellabat Stephanus, *cur ambitionis Spiritu, Romanam universalem usurpasti*? Nolim tamen, ut noster Criticus, Actis hujus nefariæ Synodi, insisteret; Nam & ea constat, jubente Concilio Romano sub Joanne IX., tanquam impia, & nefaria, fuisse igni tradita: & Formosi Corpus, ad Tiberina ostia repertum, cum Vaticanæ inferretur Ædi, sacras imagines, venerabundas excipere visas, Divino Numine, ejus Pontificatum approbante, teste Luitprando lib. 1. cap. 8.

Sed, inquit fol. 33., Jacobus Apostolus, Hierosolymæ Episcopus semel constitutus, ibi perpetuo resedit.. Lepidissima probatio, qua ex casu peculiari, firmat regulam universalem pro omnibus.

§. V.

§. V.

De Episcopatu Vercellensi D. Justiniani.

EAdem Critica, & eruditione, pergit egregius Dissertator, convellere Episcopatum D. Justiniani, a nobis ex Epitaphio apud Gruterum, assertum: *Dissipatur*, inquit fol. 45., *figmentum de Episcopatu Vercellensi, D. Justiniani, ad arbitrium excogitatum, nullo prorsus argumento, ac veri specimine, adnixum*. Dissipat ne revera, aut saltem dissipare conatur? Neutrum. Sed inutilibus, & si fas est dicere, ineptis argumentis, totam rem peragit. Audiamus. Primum argumentum instaurat ab interrogatione, qua fol. 46., me compellat, ut indicem, ubinam, & quo tempore D. Justinianus sederit? Quo expleto, ait se Sententiam meam adprobaturum. Libenti animo satisfacimus.

Quo ad locum, dicimus D. Justinianum, Vercellis sedisse. Id haud absona conjectura, arguimus, ex eo, quod Vercellis, Sepulcrum nactus sit, & Epitaphium non edicat, alterius Ecclesiæ Episcopum fuisse. Quamvis enim fieri possit, ut Episcopus non Vercellensis, Vercellis tumuletur; tamen urget præsumptio, quod

quod fuerit Episcopus Vercellensis, ille, quem scimus Vercellis sepultum fuisse, nisi oppositum, saltem per conjecturas probabiles, constet. Communiter enim contingit, quod Episcopi, cum residendi obligatione teneantur, decedant, & sepulturam nanciscantur, ubi sedem Episcopalem habuerunt, & residere tenebantur. Factum autem præsumitur, quod communiter fieri solet ex l. 125. ff. de reg. jur., & ibi Doctores, cum Everardo de locis. Unde argumentum a communiter contingentibus, concludere in materia probationum, tradit. id. Everar., Menoch., Mascard., & cæteri communiter, agentes de loco a communiter accidentibus. Adde nullatenus credibile esse, quod ubi Justinianus, Episcopus Vercellensis non fuisset, nihil fuerit additum in Epitaphio, quo indicaretur Ecclesia, cujus fuit Episcopus. Et hoc præcipuè, quod sciamus, id apud antiquos in more positum fuisse, ut inscriptiones sepulcrales, quoties Episcopus, in propria Ecclesia, tumullum habuit, ferè nunquam meminerint, cujus Ecclesiæ fuerit Episcopus, eam satis demonstrante, ipsomet sepulturæ loco. Qua de re, luculentissimum testimonium nobis suppeditant Epitaphia SS. Eusebii, Honorati, Flaviani, Celsi, aliorumque Episcoporum Vercellensium, in hac Ecclesia, conditorum, quæ contenta horum Sanctorum Dignitatem Episcopalem, Civitatesque adnotasse, ne verbum quidem habent eos fuisse Episcopos Vercellenses.

Con-

Contra vero, si in aliena Ecclesia, Episcopum, tumulum habuisse contigerit; quia tunc plurimum interest, sedem Episcopalem nominatim designari, ut, & prospiciatur personæ identitati, & occurratur erroribus. Quod usitatum videmus in Epitaphiis Urbani, Jacobi II., Lombardi, aliorumque Episcoporum Vercellensium, qui extra propriam Ecclesiam, sepulti sunt. Itaque nisi Dissertator noster, edoceat Justinianum alterius Ecclesiæ fuisse Episcopum, atque positive destruat præsumptionem, quæ naturali oritur ex loco sepulturæ (quod nec præstat, nec præstabit unquam) inconcusse stat fuisse Episcopum Vercellensem.

Quo ad tempus, quo Justinianus sedit, fidem facit Epitaphium, eum assignans *Apostolica turba*. Verum nihil historiæ officere, quamvis in quibusdam casibus, tempus præcise, vel locus sepulcri, signari non possit, omnes norunt.

Ostendimus, juxta desiderium nostri Critici, ubi, & quo tempore, sederit Justinianus. Reliquum est, ut & ipse, juxta promissa, nobiscum sentiat. Paulisper tamen subsistendum est, & illi tempus adhuc deliberandi, est concedendum. Nam tandem, omnes exquisitissimæ Dialecticæ, & Critices vires exerit, ut D. Justiniani Episcopatum Vercellensem, ab imo suffodiat: *Qua de caussa*, ait fol. 46., *D. Justinianus non adnotatur in veteribus Kalendatiis, quibus illustris memoria præfatorum Sanctorum Sabiniani*, *& Mar-*

& Martialis, ut Præsulum Vercellensium, *agitur ? Fileppi armis instructus, cum ipso dimico*. Heu me miserum! *Is eos*, *Episcoporum Vercellensium, Elencho adscribit*, *quod potissimum in Kalendariis vetustis celebrentur*, *ut Episcopi Vercellenses*. *Sed D. Justinianus in eisdem non celebratur*, *ut Episcopus Vercellensis*: *Igitur non extitit Episcopus Vercellensis*.

O elegans (liceat hic mihi , uti nostri Critici exclamatione) O elegans jocandi genus! O' mira vis Dialecticæ! Quis statim, vel mediocriter versatus in Regulis summulisticis, non percipit, hoc esse putidissimum sophisma? Major, & Minor argumenti, sunt ambæ particulares : & Medius terminus, evidentissime non distribuitur. Hinc concedo Majorem; transmitto, vel si mavis, concedo minorem ; & nego consequentiam. Concluderet equidem argumentum, & esset in forma, si ita conficeretur: Illi soli, Episcoporum Vercellensium Elencho sunt adscribendi, qui in vetustis Kalendariis celebrantur ut Episcopi Vercellenses ; sed D. Justinianus, in iisdem non celebratur ut Episcopus Vercellensis: Ergo (non extitit Episcopus Vercellensis? Vis formæ, hanc consequentiam non patitur) perperam D. Justinianus adscribitur albo Episcoporum Vercellensium. In hoc argumento, Major est evidenter falsa. Quamvis enim censeam illos omnes esse inferendos albo Episcoporum Vercellensium, quos vetusta Kalendaria produnt fuisse Episcopos Vercellenses; nun-

nunquam tamen dixi illos dumtaxat esse inserendos. Nam ij quoque sunt inserendi, quos; esto locum non habeant in antiquis Kalendariis, constat tamen Episcopos Vercellenses fuisse, ex aliis documentis. Non enim Kalendaria sunt sola documenta, quibus probari possit aliquem fuisse Episcopum Vercellensem: neque nos Kalendariis unicè utimur.

Censemus (subdit eod. fol. 46. in fine) *Justinianum in Epitaphio celebratum, fuisse illum, qui sub nomine Justiani, vel Justini, anno CDLII., Vercellensem Ecclesiam sancte rexit. Imminuta sapius fuisse nomina, constat, quo Potentianus, interdum nomine brevi Pontiani appellatur. Quid obstat ipsum eundem Episcopum, vocatum fuisse, modo Justinum, ut patet ab Actis Concilii Mediolanensis, sub Archiepiscopo Eusebio, habiti, cui prafatus interfuit, & a vetustis pictis Tabulis, modo Justinianum, ut advenit in laudato Epitaphio?* Res mira! Noster Criticus, qui paulo ante, adeo nitidè, & confidenter, Episcopatum Justiniani Vercellensem, ad commentitias excogitationes, a nobis arbitrario factas ejecerat; nunc repente mutato consilio, statuit Justinianum, illum ipsum, quem Epitaphium prodit, Episcopum Vercellensem. Portenta Critices, sunt hæc. Addit unum, a se quidem ad libitum, confictum, nempe hunc Episcopum, in antiquis Ecclesiæ picturis, *Justinum* fuisse nuncupatum. Nullum habemus, inter Episcopos nostros, Justinum.

Nul-

Nullum produnt *Justinum*, antiquæ picturæ. *Justianum*, constanter hæ nobis exhibent. Quia vero materiam implicare quærit, ideo eam, ad cavillationes præoccupandas, dilucidè exponendam suscipimus. Episcopum Vercellensem, qui circa dimidium sæculi quinti, interfuit Concilio Mediolanensi sub Eusebio, fuisse non *Justinianum*, sed *Justianum* præcisè, evincunt omnes Catalogi antiqui Episcoporum Vercellensium, qui apud nos, MS. asservantur, in quibus Episcopus ille, *Justianus*, non per correptionem, sed integris litteris appellatur, quin ullibi legatur prolixioribus characteribus, *Justinianus*, appellatus. Et ita teste Bonhomio, Scriptum legebatur sub antiquissima effigie, quæ olim septimo loco post effigiem D. Eusebii, depicta conspiciebatur in Basilica Eusebiana: & ita demum legitur in Epistola Synodica S. Eusebii Mediolanensis ad S. Leonem Papam, quæ extat apud Carolum a Basilica Petri Episcopum Novariensem in Opusc. de Metrop. Mediol. num. XI., & habetur etiam inter Opera S. Leonis, & in Tomis Epistolarum Pontificiarum, ex testimonio ejusdem Auctoris. Cui Epistolæ inter cæteros Episcopos, subscriptus reperitur, *Justianus Vercellensis*; quin hic, & in Catalogis, aliisque monumentis Ecclesiæ nostræ, ne leve quidem correpti verbi, indicium deprætendatur, & quin alio nomine legatur vocitatus. Primus omnium, Jo. Stephanus Fer-

rer., Episcopus Vercellensis in hist. Ep. Vercell. edita Typis Romanis anno 1602. fol. 111., nominis similitudine abusus, *Justianum* hunc, etiam *Justinianum* appellavit, subdens se ita legisse in Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ. Cui tamen nullatenus deferendum esse constat ex eo, quod hæc lectio sit contra fidem Tabularum nostrarum, & contra fidem veterum omnium, qui constanter semper, Episcopum non *Justinianum*, sed *Justianum* appellarunt. Quare Amanuensis error censendus est, qui facillimè nominis magis obvii similitudine decipi potuit, & sic pro *Justiano*, quod nomen apud Latinos est ferme inusitatum, *Justinianum*, usitatius nomen, substituisse credibilissimum est. Errorem hunc agnovit & Labbæus. Nam in Editione Conciliorum Labbæana, *Justianus* hic, subscriptus legitur his verbis: *Ego Justinianus Episcopus Ecclesiæ Vercellensis, in omnia suprascripta consensi, & subscripsi, anathema dicens his, qui de Incarnationis Dominicæ Sacramento, impiè senserunt.* Labbæus vero in margine, textus errorem corrigens, pro *Justinianus*, sufficit *Justinus*, & ita legendum dicit. Quamvis & ipse, vel fortassis Typographus, quod verosimilius est, in hoc nomine *Justinus*, erraverit; inde tamen eruitur hunc Episcopum, *Justinianum* non esse. Præterea *Justinianum* nostrum, esse alium ab eo, qui septimo loco, post D. Eusebium, sedit, suadetur ex eo, quod ille sede-

federit annis XVI. mensibus VI. , ut ex Epitaphio ; iste vero juxta omnes Catalogos , annis XIX. Demum *Justianus* ille , qui interfuit Concilio Mediolanensi , & septimo loco , sedit post D. Eusebium , junior admodum est , ut adnumerari possit *Apostolica turba* . Hoc postremum , quamvis validè intentum nostrum probet ; tamen nullum negotium nostro Dissertatori facessit : *Negotium* , inquit fol. 47. , *mihi non facessit , inscriptionis Auctor , quod eum Apostolica turba cooptet . Mos quorundam Scriptorum fuit iste , scilicet populorum genio insistere , qui Ecclesias suas , ut mox vidimus , ad primos ara Christiana annos , producunt , locata in phantasmatibus Religione , omissa epocha cura , & ablegata rerum veritate* . Hoc argumentandi , seu potius destruendi modo , certum est , quod omnibus antiquis inscriptionibus , quæ aliis certis monumentis non fulciuntur , quæque Sanctos primorum sæculorum , nobis produnt , est omnis fides penitus abroganda ; inter quas , dubio procul suum locum habere debent illæ , quas ex Alciato profert Clarissimus Sormanus , in Apolegismo de Apostolatu S. Barnabæ fol. 92. & 99. Nam contra omnes inscriptiones hujusmodi , pugnat indiscriminatim allatum argumentum , *mos quorundam Scriptorum fuit* &c. Quod quam absonum sit , atque a regulis summulisticis , & bonæ critices abhorrens , nemo est quin videat : Quis enim

G 2 Dia-

Dialecticus, hoc argumentum æquis auribus excipiat: *aliquis homo est albus: ergo Petrus est albus*; vel: *ergo omnis homo est albus*; *Quorundam Scriptorum mos fuit, inscriptionibus per ipsos exaratis, falsa inserere: ergo id fuit usitatum ab omnibus*; Vel: *ergo id pariter egit Auctor Epitaphii, D. Justiniani*. *Esto enim aliquando* (est doctrina Cani a nostro Dissertatore laudata fol. 45.) *habeantur ambigua, quadam etiam falsa; num idcirco historiis Ecclesiæ omnibus, fidem abrogare perges* (hoc esset omnem ferme Historiam Ecclesiasticam convellere) *quod earum quadam sint jactata, & credita, in quibus ficta reperies fortasse plura, quæ jure, ac merito reprobentur*. Quapropter fatentibus omnibus, nihil damnari debet, nisi diligenter discussum: *Mihi profecto* (prosequitur Canus) *illud Gelasii consilium placet, ut cum hujus generis historias Catholici legerint, B. Pauli sententia pracedat: omnia probate, quod bonum est, tenete*. Noster Dissertator, nova Critica utens, nihil discutit, sed omnia indifferenter, & sine delectu, reproba pronuntiat, ob id, quod *mos quorundam Scriptorum fuit* &c. Et tamen, quis crederet? Audet nihilosecius, & intrepida confidentia, causam definit: *Quum hoc pacto*, ait, *res extet, caussa Fileppi, ubivis in dubium, evocatur, & in casum inclinat*. Addo demum, Epitaphium illud incisum videri sepulcro, cum istud positum fuit, vel certè antiquioribus

ævis

ævis . Id apertè ejus pandunt verba . Neque adeſt ratio, nec ullam affert noſter Criticus, ob quam, illud recentius judicemus . Quomodo autem potuit Scriptor, quem inde oportet vetuſtiſſimum eſſe, indulſiſſe genio populorum poſterioris ævi, referentium origines Eccleſiarum, ad primos æræ Chriſtianæ annos .

§. VI.

De Epiſcopatu Vercellenſi D. Theoneſti .

NOſter Diſſertator, Epiſcopatum Vercellenſem, D. Theoneſti, cujus nos in Diſſertatione noſtra, conjecturam cæpimus, nec frivolis, nec contemnendis ducti rationibus, everſurus, affert fol. 47. textum noſtrum, ſed truncum & mutilum . Plura enim reticet (quo conſilio, Lector facile ex dicendis intelliget) ad rem facientia, & quæ plurimum conducunt ad mentem noſtram plenius firmandam, & aperiendam . Operæ pretium eſt, illum integrum exhibere ; in quo, ea, quæ ipſe ſilentio præterit, parentheſi claudemus . (*Poſt D. Juſtinianum*, aio, *nullius alterius Epiſcopi Vercellenſis, ante D. Euſebium, habetur certa memoria*) . *Adſunt tamen validiſſimæ conjecturæ, ſuadentes D.*

D. Theoheſtum (non militem de legione Thebeorum, at nunc fert communis opinio, ſed) fuiſſe Epiſcopum, qui Eccleſiæ Vercellenſi præfuerit circa annum Domini CCXC., nempe ſub Impp. Diocletiano, & Maximiano. Primo enim id ſuadet habitus ſacerdotalis, quo ex teſtimonio Ferrerii, & Cuſani, tam in antiquis numiſmatibus, quam in parietibus Baſilicæ Euſebianæ, ante ejus inſtaurationem (in quibus teſte Modena in ſuis MS., Theoneſtus, eo habitu depictus apparebat, una cum aliis Epiſcopis Eccleſiæ Vercellenſis, pari habitu indutis. Quæ quidem effigies, quæ ævo horum Scriptorum, adhuc erant ſuperſtites, antiquiores procul dubio ſunt traditione poſtea invecta, quod D. Theoneſtus fuerit miles, & laicus) (Præterea, quamvis in Eccleſia Vercellenſi, nunc celebretur feſtum S. Theoneſti ſub xx. Novembris, tanquam de Martyre tantum; eſt tamen certo certius, quod ante acceptationem Breviarii Romani, res aliter ſe habebat; in omnibus enim Kalendariis antiquis, nulla mentio S. Theoneſti ſub xx. Novembris, ſed ſub xxx. Octobris). Et quamvis illa, in aliis aliqualiter varient &c. Nota primo ex omiſſis in textu, a noſtro Diſſertatore, nullam certam memoriam alterius Epiſcopi, poſt D. Juſtinianum, haberi ante D. Euſebium. Unde ſequitur, nos Epiſcopatum Theoneſti, inter veritates exploratas, non computare. Nota ſecondò D. Theoneſtum, depictum olim fuiſſe in parietibus Eccleſiæ Euſebianæ, Sacer-

cerdotali habitu indutum, *cum aliis Episcopis Vercellensibus, pari habitu indutis*. Ex quo haud dubiè, augetur magnopere vis argumenti, D. Theonestum fuisse Episcopum Vercellensem. Nota tertiò traditionem, quod D. Theonestus fuerit miles, & laicus, coepisse postquam illæ picturæ fuere dejectæ. Nota quartò cultum, qui nunc exhibetur D. Theonesto sub xx. Novembris, olim exhibitum fuisse sub xxx. Octobris, tanquam Episcopo. Ex quo sequitur traditionem de conditione laicali, hujus Sancti Martyris, exordium habuisse dumtaxat, postquam acceptatum est Breviarium Romanum, hoc est recentissimè. Sequitur ulterius, quod sicut D. Theonestus, nunc Vercellensis censetur, pariter & Vercellensis existimatus fuit ante acceptationem Breviarii Romani, adeoque Episcopus Vercellensis, cum tunc coleretur, ut Episcopus. Hæc obiter adnotare volui, ut intelligat prudens Lector, qua fide agat noster Dissertator.

Jam verò contra Episcopatum D. Thonesti a nobis assertum, hanc propositionem ponit fol 45.: *D. Theonestus, Episcopi Larva exutus, ad suam Thebeorum legionem, mittitur*; Quæ est altera pars tituli, quo inscriptum est caput quartum adversæ Dissertationis. Deinde fol. 48. Animadversionem suam sic exorditur: *Fileppi caussa, magis, magisque perplexa, levis, derelicta, & desolata nobis insistit, dum e Thebeorum acie*

ad templum, *D. Theonestum evocat*, *& ablata galea*, *ejus tempora*, *Sacra infula redimit*.

Quisquis hæc legrit, absque dubio opinabitur, ipsum positivis, firimisque rationibus, Theonestum e cætu Episcoporum depellere, atque demonstrare reapse fuisse militem e legione Thebeorum. Id nullatenus præstat de more, nec ullam, vel levem ratiunculam habet, qua dictum suum probet; sed ex impugnatore consiliarius factus: *Ei* (mecum loquitur) *consilii auctor sum*, inquit cit. fol. 48., *ne a legibus critices discedat*, *utque exacto delectu*, *a falso verum cernat*, *atque à Plebis inscitiis*, *ac rudium ætatum fabellis*, *à patriis præjudiciis*, *ac praoccupationibus*, *longe abeat*. Consilium dat, quod ipse nusquam exequitur. Ostendat quæso plebis inscitias, rudium ætatum fabellas, patria præjudicia, ac præoccupationes, quarum me accusat. Afferat tandem argumenta, quibus Theonestum, larva Episcopi exuat, & ad suam Thebeorum legionem mittat. Quid tempus terimus? Ea de more, adeo frivola sunt, ut pudori potius sint, quam probationi.

Et quidem probationes positivas, quas pollicetur, ne quæras. Nullam habet. Negationibus dumtaxat insistit. Conjecturam, quam capimus de Episcopatu D. Theonesti, à vetustis imaginibus, & numismatibus, quæ de cætero validissima est probatio, nisi in contra-

trarium quid obstet, ex testimonio Mabillonii, & P. Honorati à S. Maria, aliorumque Criticorum, ipse flocci facit, & eam se convellere putat, adductis exemplis Magorum, S. Christophori, & S. Simeonis Senis: *Quis*, inquit cit. fol. 48., *nostræ tempestatis vir, ducat Magos, infantis Jesu cultores, fuisse Regia Dignitate perfunctos, & si Pictorum licentia, ac favore, conspiciuntur diadematibus effulgentes? Quis e numero Eruditorum sibi persuadeat D. Christophorum fuisse enormi mole prolixum, ut depictus insistit, & describitur? Quis puræ mentis, de gradu Sacerdotali Simeonis, minimè dubitet, quamvis opinio vetusta, & popularis, eum sacra zona decoravit?* Res mira! Nemo unus, ipso Auctore, hoc tempore, censet Magos fuisse Reges; cum tamen certum sit non paucos, eosque doctissimos, ita opinari. Sed nolo hac in re, quam adeo confidenter definit, ei contradicere. Criticum ago, & dico, vel picturas hujusmodi non esse admodum antiquas, vel certè contra illas pugnare firma documenta, & argumenta valida, ex quibus intelligamus nec Magos fuisse Reges, nec Christophorum, gigantem, nec Simeonem, Sacerdotem. Si ipse quoque aliquod mihi documentum objiceret, vel positivum argumentum, queis auctoritas numismatum, & effigierum, D. Theonestum, Episcopum repræsentantium, enervaretur, gratiam plurimam haberem, & libenti animo à mea sen-

ten-

tentia discederem : ipseque rectè Provinciam suam obiret . Ast nihil penitus afferre præter exempla , quæ ad rem nostram non inferunt , & nihilosecius , confidenter clamare, *causam nostram perplexam , levem , derelictam , & desolatam* ; quid quæso , est aliud , quam obtrectatorem agere , & velle credulis imponere ? Cætera inspiciamus . *Kalendaria* , inquit fol. 49. *vetera Ecclesiæ Vercellensis , variant , & secum pugnant* . Dicat obsecro , ubinam secum pugnent ? *Renuntiant enim*, subdit , *D. Theonestum hinc Episcopum , & Martyrem , hinc Episcopum , & Martyrem Tutelarem Vercellensem , hinc Episcopum Civitatis Vercellensis , & Martyrem* (hæc esse secum pugnantia , quis sanæ mentis dixerit ?) *inde Episcopum Altinensem* . Nullum Kalendarium dicit Theonestum , Episcopum Altinensem . Solum Kalendarium apud Cusanum , impressum anno MDCLXXVI. , à quo in hoc , omnia MSS. dissident , unde non modicam insinceritatis suspicionem ingerit , habet : *S. Theonesti Civitatis Vercellensis Episcopi Altinensis* . Hæc verba , nihilominus , dant ne adeò indubitanter , Theonestum , Episcopum Altinensem ? Suum deinde judicium , veluti ex tripode , profert : *Omnia* Kalendaria *conveniunt*, inquit , *ad constandam confusionem , ad declarandam Auctorum privatorum Kalendariorum instabilitatem , & ad ostendendum , rei haud benè compertæ statum* . . Optima argumentatio. Kalendaria essentialiter conveniunt in puncto, de

de quo agimus, in statuenda nempe D. Theonesto, qualitate Episcopali: ergo *conveniunt ad constandam confusionem &c.* ? Perbellè. Præterquamquod ecquis non videat, hac pulchra doctrina, omnium Ecclesiarum vetera Kalendaria (præcipuè Ambrosianum, cujus variationes refert Muratorius) imò & vetusta probatorum Auctorum Martyrologia, quæ non adeo rarò, inter se aliqualiter varient, ad incertitudinem, & confusionem amandari, atque decerni, iis veluti incertis, instabilibus, & rei non benè compertæ statum continentibus, omnem fidem denegandam esse ?

Sed inscriptio sculpta sepulcro S. Theonesti, habet tantumodo: *Theonestus Christi Martyr*. Quod indicio est, hunc Sanctum, fuisse Martyrem tantum. *Si D. Theonestus*, prosequitur Dissertator, *Sedem Episcopalem obtinuisset, ibi non omitteretur Antistitis titulus, sicut Martyris titulus, silentio non involvitur; quum ejusmodi titulus, Sancti characterem proferat, & ejusdem decus augeat*. Id ipsum in Dissertatione mea, ego mihi objicio ex Bedæ Martyrologio, in quo Theonestus non insignitur titulo Martyris. Ibique solutionem affero, nonnullisque exemplis firmo, quæ consultò ipse dissimulat. Norunt Eruditi solum titulum *Martyris*, alicui Sancto attributum, non esse argumentum, cur eidem denegetur qualitas Episcopalis. Qua de re videndus doctissimus Reschmannus. *De Episcopatu Sabionest S. Cassiani Martyris*, & clarissimus

ſimus De Rubeis , Scriptor eruditiſſimus ex inclyto Prædicatorum Ordine , monumenti Eccleſiæ Aquilejenſis col. 36., ibi : De Hilario Epiſcopo Aquilejenſi , ait , memoria habetur in pluribus Eccleſiæ faſtis , quin tam in iis ullatenus appelletur Epiſcopus . In Martyrologio Norkeri ad diem XVI. Martii , legitur tantumodo : *In Aquilegia , Hilarii* . Martyrologium à Florentinio editum , habet ad eandem diem : *in Aquileja , Largi , Hilarii , Titiani* . Idem habent Martyrologia Richenovienſe , & Reginæ Sveciæ apud Bollandi Continuatores , Corbejenſe apud Bacherium , & aliud vetuſtiſſimum Antuerpienſe , apud Florentinium , in quo legimus : *In Aquileja ad Ponto , Largi , Hilarii , Titiani*. Ubi obſervandum eſt , quod Hilarius , abſque ullo characteris diſcrimine , cum Largo , & Titiano , qui Epiſcopi non fuerunt , confunditur .

Addit Diſſertator eod. fol. 49. traditionem de Epiſcopatu D. Theoneſti , duraſſe uſque ad annum MDCIX. , quo effoſſa terra , ob inſtaurationem novi Chori , repertum eſt operculum Sepulcri D. Theoneſti , cum relata inſcriptione , *Theoneſtus Chriſti Martyr* ; haud obſcurè innuens , hanc inſcriptionem fuiſſe , quæ traditionem illam de medio ſuſtulit , ac aliam invexit , quæ Theoneſtum inter milites Legionis Thebeæ locat . Hoc equidem oſtendit , quam ipſius doctrina inſtabilis ſit, ſimulque manifeſtat eum , judicium ferre de

re

re haud bene ſibi comperta . Itaque , ipſo teſte , traditio de Epiſcopali Dignitate S. Theoneſti , deſiit dumtaxat anno 1609. Cur ergo nos , qui eam tuemur , novitatis accuſat ? Ab eo anno , ipſo judice , coepit traditio Theoneſtum non fuiſſe Epiſcopum, ſed tantumodo Martyrem . Numquid & fuiſſe militem Legionis Thebeæ ? Sua doctrina cogit , ut affirmet . Quæro , quibus momentis , hanc traditionem , veram eſſe probet ? Nullis prorſus . Quid ergo *D. Theoneſtum ad ſuam Thebeorum Legionem mittis* , ac ſi exploratum eſſet , huic Legioni nomen dediſſe ? Cur Dignitatem Epiſcopalem Theoneſti , larvam eſſe pronuntiat , cum de hujuſmodi Dignitate , viguerit conſtans traditio uſque ad annum 1609. ? Recolat ea , quæ contra nos congerit inf fol. 56. : *omnes leges in unum coeunt , clamantes à jure incerto , & excogitato recenter , jus indubium , & inveteratum , nequaquam elidi* . Traditio de militari conditione S. Theoneſti , eſt recenter excogitata , (certiſſimum eſt non eſſe antiquiorem ſæculo XVI.) quam ipſe nulla , vel levi probatione fulcit , adeoque inter fabellas popuiares computanda . Traditio verò , quod Theoneſtus fuerit Epiſcopus , in poſſeſſione fuit, ipſo teſte , uſque ad annum MDCIX. ; & tantum abeſt , ut vel minimum , eam ipſe exturbaverit , quod imò , ne ratiunculam quidem unam , in contrarium attulit . De ejus, itaque pronuntiatis , an ſibi cohæreant , an regu-

regulis bonæ critices, & Dialecticæ consonent; judicent Eruditi.

De Episcopatu D. Theonesti, nihil habet præterea, & suam egregiam animadversionem, concludit demum his verbis: *Opinor*, ait fol. 49., *S. Theonestum, Episcopum Altinensem, fuisse adnotatum in veteribus Kalendariis, quia facta fuit in illis mentio S. Theonesti Episcopi die xxx. Octobris, in quam solemnitas S. Theonesti Altinensis, verè, & semper obtingit: Opinor ejusdem singularem cultum in Basilica Vercellensi, inductum fuisse, ut frueretur in Ecclesia Eusebio sacra, speciali veneratione is, qui eadem caussa, eandem passionem pertulit, quam Eusebius toleravit; nam uterque invictissimus Divini Verbi adsertor, ab Arianis, lapidibus obrutus est*. Nugæ sunt istæ. In nostra Dissertatione invictè probamus, S. Theonestum nostrum, qui perpetuum cultum habuit, & habet in hac Ecclesia, alium esse ab Altinensi. Id Dissertator nec diffitetur, nec diffiteri potest. Cultum nostro Theonesto, ostendimus ex omnibus Kalendariis antiquis exhibitum sub xxx. Octobris. Ergo, vel Theonestus noster est idem cum Altinense, vel si idem non est, desipit Dissertator, dum cultum exhibitum ab Ecclesia Vercellensi, S. Theonesto, refert ad S. Theonestum Altinensem. Altera ejusdem opinatio, exhibens causam, ob quam olim in Ecclesia Vercellensi, cultus fuit S. Theonestus Altinensis, est recentissimè excogitata, quam tamen ipse, ne levi

qui-

quidem ratiuncula colorat. D. Theoneſtum Altinenſem, non lapidibus obrutum, ſed capite plexum, conſtat ex Henrico Caniſio, & ex officio Moguntinæ Eccleſiæ apud Ferrer. fol. 124.. Sed demus ſub lapidibus martyrium conſummaſſe; non ne puerilis eſt jocus, inde arguere, ejus cultum in Eccleſia Vercellenſi? Aſt omnia licent, cuncta revocanti ad regulas exactæ Critices.

§. VII.

Num ex Epiſtola D. Ambroſii ad Vercellenſes, colligatur ante D. Euſebium ſediſſe alios Epiſcopos?

HIc pariter noſter Diſſertator Hiſtorico-Criticus, reſecta potiſſima noſtri textus parte, quæ firma continet momenta, validaque ratiocinia ex verbis D. Ambroſii deducta, queis Eccleſiam Vercellenſem, ante adventum D. Euſebii, planè efformatam demonſtramus, alteram partem nudè reddit, quæ habet verba Sancti Doctoris. Id num mala fide egerit, an potius ex quadam ignoratione rerum, quas impugnandas ſuſcipit, alii viderint. Quod ut pateat, ratiocinationes noſtras, hac de re, prout in Diſſertatione noſtra jacent, integras exhibemus. Et ſunt hujuſmodi.

„ Clariſſimum eſt D. Ambroſii teſtimonium,

„ in

„ in celebri illa Epistola ad Vercellenses : *Hac est illa*, ait S. Doctor, *confessionis institutio &c.* Quæ mox sequuntur, ex toto amputat noster Dissertator. " Ex quibus verbis,
„ evidenter habes populum postulantem, Cle-
„ rum eligentem : habes & Ecclesiam planè
„ efformatam, in qua aderant inter Cives,
„ non pauci, qui ad ejusdem Ecclesiæ Epis-
„ copatum, aspirare poterant, adeoque nec
„ tyrones in fide, nec neophyti, sed perfe-
„ ctè Catholici, imò Doctores, fideique con-
„ summatæ, quibus tandem, absque suspi-
„ cione, tantum munus, temporibus adeò
„ difficilibus, committi posset. Uno verbo,
„ habes Ecclesiam Vercellensem, perfectè con-
„ stitutam, & fidei magistram, antequam
„ adveniret Eusebius. Quare certissimè tunc
„ agebatur de dando Successore, Ecclesiæ va-
„ canti . . . . Et ita textum Ambrosianum,
„ naturaliter intelligunt gravissimi simul, &
„ eruditissimi Viri, inter quos P. Oliva . . .
„ Abbas Fleurius. "

Quid ad hæc noster Dissertator? Nihil. *Textus*, inquit fol. 51. *D. Ambrosii, ex literis ad Vercellenses missis, exceptus, probat Eusebium, non a gentibus, sed a populo, in fide instituto, imo partim sanctitate florenti, in Episcopum, renuntiatum fuisse, electionem semoto omnium partium studio, ac procul ablegatis Patriæ affectibus, nemine prorsus, & quidem Arianorum, discrepante, admodum fuisse conflatam, ad hanc sacram*

rem

rem conficiendam , Sacerdotium , ac sæculum coiviſſe ; nequaquam indicat Euſebium , in alterius denati Antiſtitis locum , ſublectum fuiſſe . Quo deducitur Vercellis , Fidelium communionem viguiſſe , in tanta Vrbis frequentia quoſdam in virtutis culmine effulſiſſe , quos infula decus decebat . Hac omnia hoc temporis , ferè cunctis Vrbibus (ita) vigent , quibus Epiſcopalis ſedes deeſt . Deinde contentus , P. Olivam Soc. Jeſu , inſimulaſſe veluti viciatorem hiſtoriæ , auctoritatem Abbatis Fleurii , ſilentio præterit .

Hanc interpretationem qui legerit , hærebit anceps , audiens D. Ambroſii auctoritate probari D. Euſebium *non a gentibus* , ſed a populo in fide inſtituto , in Epiſcopum , renuntiatum ; ac ſi ad gentes , aliquando ſpectarit Epiſcopi electio . Sed hæc miſſa facimus . Illud certiſſimum , quod noſter Diſſertator docta hac interpretatione , difficultatem nec ſolvit , nec tangit , ſed difficultati ſe ſubducit , eam vel conſultò diſſimulans , vel non percipiens . Nodus difficultatis , & vis ratiocinii in eo conſiſtit , quod D. Ambroſius nobis exhibet populum poſtulantem , & Clerum eligentem . Poſtulare autem Epiſcopum , Epiſcopum eligere Epiſcopali Sede nondum erecta , apertam implicat contradictionem . Ergo certiſſimum eſt , tunc Sedem Epiſcopalem Vercellenſem , jam fuiſſe erectam . Præterea Ambroſius nobis exhibet , & offert *Eccleſiam* Vercellenſem , *quem omnis elegit Eccleſia* .

 Ec-

Ecclesiam quis dixerit, ubi Pastor non est? Ecclesia Vercellensis erat, antequam adveniret Eusebius, nam Eusebium *omnis elegit Ecclesia*; penes hanc Ecclesiam, erat jus eligendi Episcopum, quo in Episcopum electus est Eusebius: Ergo hanc Ecclesiam non fundavit Eusebius. Quid certius? Pater mi Admodum Reverende; hinc non evades, nisi ad divinationem, more tuo, & ad id quod fieri potuit, confugies. Fortè ne tunc agitata fuit, Episcopatus Vercellensis erectio? Nemo, vel mediocriter eruditus id dixerit. Nam novi Episcopatus erectio, populi nunquam fuit, sed Episcoporum Comprovincialium, de expresso consensu Episcopi Dioecesani. Praeterea, quis est qui nesciat Ecclesiarum, & Episcopatuum fundationes, omni aevo fuisse negotia gravissimi momenti, & plurimae considerationis, quae non cito, & praecipitanter, sed omni adhibita circumspectione, & nonnisi post longam, seriamque indaginem, conficiebantur? Quis sanae mentis dixerit subitaneos populi motus, & repentina Civium studia, pro lege fuisse, qua Episcopatus, ne quidem expectato Dioecesani consensu, ad arbitrium, illicò erigerentur, iique Episcopi, qui praeessent, designarentur? Demum tunc non fuisse agitatam Ecclesiae Vercellensis institutionem, manifestat silentium hac de re, D. Ambrosii, quod in re gravissima, vetat nos aliter judicare, ac ipse scripsit; manifestant uno verbo,

bo, D. Ambrosii verba, dicentis *Ecclesiam Vercellensem*, elegisse Eusebium. Vercellensis ne Ecclesia institutorem, & fundatorem suum elegit? Id & apertissimam involvit contradictionem, & dissertis verbis reprobatur ab Innoc. primo in Epistola ad Decent. Eugub. Ep.. Unde immeritò noster Dissertator P. Olivam carpit, quod historiam vitiaverit, & fidem publicam turbaverit, immeritò inquam; nam gravissimus hic Auctor textum Ambrosianum intellexit, & exposuit, non secutus nudum, materialemque sonum verborum, sed ut erat Viri docti, naturali significationi verborum in talibus circumstantiis, se accomodans. Nescio cur parcat Abbati Fleurio.

Acriter deinde veluti negotio feliciter confecto, in nos invehitur, quod Jo. Franciscum Bonhomium, Episcopum Vercellensem, aliosque, qui ab ipso sumpserunt, putidi, enormisque accusamus erroris, quod statuant D. Eusebium, primum Episcopum Vercellensem; cum nos ipsi de cætero, quando nobis Bonhomius favet, ejus auctoritate utamur. Bonhomius quidem, licet alias Præsul laudatissimus, quo adhoc excusari non potest. Ipse fuit omnium primus, qui opinionem toti antiquitati ignotam, in Ecclesiam Vercellensem obtrusit, nempe D. Eusebium fuisse primum Episcopum Vercellensem. Ipse auctor fuit, ut Ecclesia Vercellensis, relicto vetusto Eusebiano Ritu, toto Orbe,

 ve-

venerabili, Romanum acceptaret. Non est cur hic prodamus rationes, quibus ad ita agendum, impulsus fuit, quæ sane laudabiles non fuere. Dolenda historia patet ex pluribus Actis Capitularibus diei 5. 17. & 29. Martii, 14. & 25. Junii, & 18. Decembris 1574., diei 2. Januarii, 7. Aprilis, 22. Septembris 1575., & diei 4. Martii 1576. Nos ejus auctoritate utimur ad probandam antiquitatem, & veracitatem Ecclesiæ nostræ monumentorum, quia Adversariis nostris suspectus esse non potest.

Dixi Bonhomium, omnium primum opinionem toti antiquitati ignotam, in Ecclesiam invexisse. Et verissime. Nunc dico ductum ad id fuisse, hoc præcise, nugatorio, & levissimo argumento, quia *nullis litteratorum monimentis* (sunt ejus verba) *proditur alios, ad sedis Vercellensis, gubernacula, Episcopos sedisse ante D. Eusebium*. Quid vero, si ego contra ipsum, argumentum negativum hujusmodi, retorqueam, opponendo Scriptorum omnium profundissimum silentium, qui de D. Eusebio multa, & præclara edisserentes, nunquam eidem, qualitatem primi Episcopi Vercellensis, appingunt? Nonne mea argumentatio felicior evadet? Equidem eruditissimi Critici, quibus debemus scientiarum, & præcipuè Historiæ Ecclesiæ restaurationem, quamvis fateantur debile admodum esse argumentum negativum, petitum a silentio Veterum, ad

pro-

probandam aliquam positivam assertionem ; omnes tamen in eam conspirant sententiam, teste P. Honorato a S. Maria, quod quoties suppetunt monumenta, & Auctores accuratissimi non desunt, qui alicujus historiam veluti e facie cogniti diligenter conscripserunt, & simul reticuere aliqua adjuncta, quæ de cætero ipsorum erant historiæ, & ejusdem subjecti gravissimum characterem exprimentia, efficacissimum sit argumentum negativum, petitum ab eorum silentio, ad concludenter asserendum, subjectum historiæ; ejusmodi adjunctis affectum non fuisse. Jam vero Patres, & Scriptores gravissimi tum Latini, tum Græci, item Scriptores Annalium Ecclesiasticorum, tum antiqui, tum recentiores, quorum instituti est, Ecclesiarum fundationes, inter cætera, historiæ consignare, fusum Sermonem habent de D. Eusebio Vercellensi, ejusque electione, & consecratione in Episcopum Vercellensem, & de præclaris aliis ejusdem gestis. Omnes illum dicunt Episcopum Vercellensem, & nemo unus est, qui eum appellet, aut primum ejusdem Urbis Episcopum, aut ejusdem Ecclesiæ fundatorem. Quid igitur? Dixeris ne tot, tantosque viros, id ex indiligentia, & oscitantia quadam, non adnotasse? Absit, ut hac turpissima nota, sapientissimos æque, ac diligentissimos Scriptores, inuramus. Itaque eorum silentium, rectè admodum in puncto, de quo agimus, accipimus veluti patenter exclusivum

qualitatis primi Episcopi Vercellensis, quam temerè D. Eusebio appingit Bonhomius. Ergo maximo cum fundamento, inde concludimus D. Eusebium fuisse quidem Episcopum Vercellensem, sed nec primum, nec Vercellensis Ecclesiæ fundatorem. Silentio Patrum, & Scriptorum, adde & silentium monumentorum Ecclesiæ Vercellensis; inter quæ non infimi gradus sunt, Epitaphium, procul dubio vetustissimum, repertum ad Sepulcrum D. Eusebii, tempore exhumationis, ejus Sacratissimi Corporis: Historia D. Eusebii, quæ ab antiquissimis temporibus, legi consueverat in officio ejusdem S. Eusebii, quoad viguit Ritus Eusebianus: Martyrologium Vercellense, & ipsum antiquissimum: Vita MS. D. Eusebii remotissimæ antiquitatis, quæ asservatur in Archivio Capitulari. In iis, & cæteris omnibus, ne verbum quidem fas est reperire, quod aut innovat, aut aliquam vel levissimam suspicionem ingerere possit D. Eusebium fuisse primum Episcopum Vercellensem. Adde & effigies nonnullorum veterum Episcoporum Vercellensium, quæ olim in Basilica Eusebiana conspiciebantur, quasque depictas censet Ferrer. ante sæculum octavum; inter quas erat quidem ordine prima, ea S. Eusebii, sed cum epigraphe subjecta: *S. Eusebius Episcopus Vercellensis, & Martyr*; & præterea nihil. Ipse Bonhomius, quamvis in Elencho Episcoporum Vercellensium, statuat D. Eusebium, primum Episcopum Vercellensem; in

vita

vita tamen D. Eusebii, quam expressis verbis profitetur *se conscripsisse ex usu perpetuo, constantissimaque traditione Ecclesiæ Vercellensis, non litteris solum, sed imaginibus demonstrata, quæ ex veterum illius Ecclesiæ Episcoporum, concionibus Sanctissimis, aliorumque item Patrum monimentis, & priscis præterea tabulis obsignatis, e certissimoque Tabulario depromptis ad nos jam inde usque ab ultimis D. Eusebii temporibus, derivata est*; non audet Eusebium appellare primum Episcopum Vercellensem, sed agens de ejus ordinatione, hæc habet dumtaxat: *Ubique igitur terrarum, atque adeo in omni Italia, cum scelerata ea hæresis exardesceret, Divino Consilio, factum est, ut Vercellarum Episcopus, a Julio Romano Pontifice, Eusebius consecratus, tam necessario tempore ad Ecclesiam, fidei, curaque suæ traditam veniret, summa omnium Catholicorum gratulatione*. Credet ne aliquis, quod D. Eusebius fuerit primus Episcopus Vercellensis, & interea nullum monumentum Ecclesiæ ab eo conditæ, hanc laudem haud dubiè præclarissimam ipsi deferat; ipsa quoque Ecclesia Vercellensis, nullam gratiam omni ævo, ne vocula quidem, quæ conditoris sui, tanta in se merita testaretur, rependerit?

§. VIII.

De Epitaphio sepulcrali D. Honorati, Episcopi Vercellensis.

TAndem noster Dissertator exitialibus, inevitabilibusque pugnat armis; & D. Honorati, Episcopi Vercellensis, Epitaphium sepulcrale affert, unde causam nostram concidere necesse est. Jam classicum concinit. Audiamus: *In eversione*, inquit fol. 52., *vetusti Chori Basilicæ Eusebianæ anno MDLXV., a Guidone Ferrerio S. R. E Cardinali, ac Episcopo Vercellensi, imperata, ut ipse ab integro refectus, polleret eleganti formæ dignitate, qua præditus nunc conspicitur, apparuerant videntibus quibusdam Canonicis, ædificii curam gerentibus, qui ejusmodi rei testificationem scripto consignatam, & Sacramento confirmatam dedere, apparuerunt tres præcipue Arcæ, quarum una, in medio locata Cineres sacros D. Eusebii, altera a dextro latere extans, S. Limenii ossa ferebat, altera demum a læva posita, Corpus S. Honorati servabat. Isti sunt nostri Patres, verique Pastores nostri, qui successione immediata nos rexerunt, & Ecclesiæ nostræ regimen primi te-*

nue-

nuerunt . Fanaticè clangit tuba , & fabulas evomit . Tota hæc narratio à Dissertatore nostro consarcinata , fædum , putidumque commentum continet , a Corbellino , & Cusano haustum : Ipse his duobus Scriptoribus reticitis , laudat Ecclesiæ nostræ Tabulas , quas nec ipse legit, nec ullus legere potuit, quia nec sunt, nec unquam fuerunt in rerum natura. Fabula est, quod antiquus Chorus, eversus fuerit anno MDLXV.; nam eversum constat anno MDLXX. Fabula est , quod eo anno MDLXV. effossa fuerit Arca Sepulcralis D. Eusebii '; nam eam effossam constat postquam Episcopus Bonhomius per cessionem Cardinalis Guidi Ferrerii , Episcopalem sedem Vercellensem jam ascenderat , quam ascendisse scimus anno MDLXXII. . Uno verbo , tota narratio , quanta est , tot scatet fabulis , quot sententiis. Inventionem Corporis S. Eusebii, quæ accidit in effossione fundamentorum pro novo Choro construendo , Bonhomio jam sedente, duobus Actibus Capitularibus , fusè exaratam habemus. In istis ne verbum quidem de duabus Arcis SS. Limenii , & Honorati , & de eo, quod adeo fidenter narrat noster Dissertator Historico-Criticus . Episcopus Bonhomius ipse , hujusmodi Inventionis , aliorumque Corporum, quæ sub ipsius oculis contigit , historiam diligentissime texit '. Idem præstat Jo. Stephanus Ferrerius in Vita S. Eusebii , Vercellis impressa anno MDCIX. fol. 126. & 133.

133. Neuter ne levem quidem mentionem facit, aut duarum Capsarum Sepulcralium SS. Limenii, & Honorati, aut horum Sanctorum. De Corpore S. Limenii, nulla in hac Ecclesia, memoria habetur, ubinam jaceat. De eo, ne quidem ipse Cusanus meminit in Catalogo, in quo describit accuratissime, omnes sacras Reliquias, & Sanctorum Corpora, quæ in Cathedrali piè asservantur, & coluntur. Cætera Sanctorum Corpora, Theonesti, & aliorum, quæ tempore exhumationis Corporis S. Eusebii, reperta sunt, consentaneo in conditorio, re litteris mandata, sunt reposita, eadem in Actis Visitationum Pastoralium, posterioribus sæculis peractarum, una cum cæteris Reliquiis, diligentissime descripta reperiuntur. Ubique desideratur S. Limenius, cujus ne quidem meminit Visitatio Pastoralis, ipsius Bonomii, anno sequenti peracta. Corpus S. Honorati ab antiquo tempore, tumulum habuit non in Choro, sed in spatio dextro Eusebianæ Basilicæ, ut apertè colligitur ex vetustissimo stationum libro MS., multis sæculis ante Bonhomium, exarato. Nunc nescitur quo certo loco jacet. Clausum credimus in Ara B. M. V. *del schiaffo*, nuncupatæ. Noster Dissertator fabulas, plenis poculis ebibit, approbat, & propinat ut veras historias, iisque toto corpore incumbit. Absit, ut a jure veritatis, tantus Criticus, & veritatis zelator, ne minimum quidem aberret.

Tan-

Tandem fol. 53. Epitaphium Sepulcrale D. Honorati in medium profert, exsculptum, ut ipse dicit, operculo Arcæ D. Honorati, & lectum, atque observatum, cum hæc Arca, ut supra, patefacta est. In eo expressis verbis, D. Eusebius dicitur Episcopus Vercellensis primus, & D. Honoratus, tertius. Hoc Epitaphio fretus, veluti victor exsultat, nosque pluribus sugillat. Expendamus quibus dimicet armis, & an victoriam sibi polliceri valeat. Illud prænoto, quod toto hoc capite quinto suæ Dissertationis, contra propriam conscietiam agit; gratias propterea mihi acturus, quamplurimas, si succumbat.

Non negaverim D. Eusebium, posse aliquo bono jure appellari primum Episcopum Vercellensem, quamvis in hanc sedem successerit, jam multo ævo stabilitam, & revera non fuerit primus, qui eam regendam, Episcopali jure susceperit. Nam de Episcopis usque ad pacem Ecclesiæ redditam per Constantinum Magnum, quid statuendum censes? Omnes errantes dixeris, nunc latentes, nunc profugos, quos Gentilium furor, nullibi consistere patiebatur; ut non immeritò, eorum Sacerdotale ministerium, plerunque nullo certo loco, aut tempore definiri possit. Potissimum verò sub Impp. Diocletiano, & Maximiano, tanta rabies in Christianos exarsit, ut non solum Ecclesiis Episcopos abstulerit, sed etiam Civitates Christianis exhauserit. Successit sæculo IV. ineunte ferale illud in-

cen-

cendium, quo eorumdem Imperatorum jussu, non in Martyres dumtaxat, sed etiam in eorum memorias, impiè sævitum est, omnibus Ecclesiis Annalibus, in quos nomina, & res gestæ Episcoporum, aliorumque Christi Confessorum, relata erant, igni damnatis. Qua de re agit Baronius ad Martyrol. in præcap. dicend. cap. 3., ibi: *Tantam Sanctorum Martyrum cladem, non aliunde manasse credimus, quam ex invictissimis illis, atque sævissimis Diocletiani Imperatoris Edictis, quibus omnes Christiana Religionis Codices, incendio damnati sunt. Meminit ejusmodi feralis Sanctionis, Euseb. lib. 8. cap. 2. & 3., quando, inquit Divinas, & Sanctas Scripturas, medio foro in rogum impositas, oculis nostris aspeximus. De eodem Edicto, plura habet Arnob., Optat., & S. Augustinus ..... Tunc temporis, in tanto Christianarum Scripturarum naufragio, factam esse lacrymabilem Actorum Martyrum jacturam, nulla est penes nos dubitatio; tuncque sublata illa nobilissima rerum gestarum monumenta .. .... vixque ex tam immenso naufragio, perpaucas tabulas remansisse putamus; tabulas inquam .... ut post vindemiam esse solet, racemus unus, vel alter.* Ex quo factum est, ut plures Ecclesiæ, antiquiores suos Episcopos, ne quidem norint de nomine. Mediolanenses equidem, temporibus D. Ambrosii, eo usque ignorabant SS. Gervasium, & Protasium, eorumque nomina, quos de cætero S. Petrus Damiani appellat Conditores, & Patres Ecclesiæ

clesiæ Mediolanensis, quique suo Sanguine, nobilissimam eam Urbem illustraverant; ut miraculo opus fuerit ad eos agnoscendos. Paulinus in Vita S. Ambrosii, loquens de Corporibus horum Sanctorum Martyrum, divinitus patefactis, *Prothasii*, *&* *Gervasii*, ait, *ut nomina, ita, & Sepulcra ignota erant*. Et S. Ambrosius ad Marcellinam Sororem: *diù*, inquit, *ante ignorati Prothasius, Gervasiusque . . . . qui sterilem Martyribus Ecclesiam Mediolanensem, jam plurium matrem filiorum, lætari passionis propriæ fecerunt & titulis, & exemplis*. Deinde prosequitur: *Patronos habebamus, & ne sciebamus. Invenimus unum hoc, quo videamur præstare Majoribus. Sanctorum Martyrum cognitionem, quam ipsi omiserant, nos adepti sumus*. Quinimò de primis Mediolanensi Ecclesiæ Episcopis, quorum historiam, tempora, successionemque, Mediolanenses Scriptores, veluti petitam ex antiquissimis, constantibusque monumentis, definitione intrepida decernunt, ita pronuntiat Bachin. dissert. de Eccl. hierar. orig. par. 2. n. 8. apud Clarissimum De Rubeis monum. Eccl. Aquileiensis cap. 19. num. 3. col. 169.: *Nisi enim*, inquit, *quinque priorum Mediolani Episcoporum vita plus justo producatur, nequit fieri, ut priorum sæculorum successio immediata, absque interpontificiis diuturnioribus, habeatur. Horum autem longius est illud, quod admitti debet inter Monam, quem decessisse ajunt anno CCXLVI., & Materni initia*, quam-

quamvis is sub Decio, sedere capisse credatur, & usque ad Diocletiani tempora perdurasse. Subdit verò De Rubeis: *Mediolanensium Episcoporum successio, hoc avo perplexa, dubia, & pluribus interpontificiis abrupta, vix certum patitur Episcopum*.

Pace Ecclesiæ tandem reddita, Arius novo dogmate eam exagitavit, ac pene convulsit. In Italia, Insubres, & Ligures exitialis pestis corripuit, Catholicis Episcopis inde sublatis, & vel Arianis suffectis, vel aliter Christi grege, absque Pastore, in direptionem tradito. Primus omnium ex tot, tantisque cladibus, vix incolumen Vercellensem Ecclesiam, Eusebius tandem aliquando, Civium concordibus suffragiis, gubernandam, & protegendam suscepit. Quid ni eum dixeris primum Episcopum Vercellensem? Ejus equidem tot, tantaque fuere in hanc Ecclesiam merita, ut jure, ejusdem Pater, Doctor, restaurator, quin & conditor appellari possit. Iste est primus, teste D. Ambrosio, qui hisce in Regionibus, Confessionis vexillum, contra Arianos sustulerit, nutantem fidem confirmarit, & collabentem erexerit. Quinimò ipse est, qui immensis exantlatis laboribus, non solum Vercellas, & cæteras Galliæ Cisalpinæ subjectas Ecclesias, ab Ariana peste, tunc fæde grassante, sed & totum liberarit Orbem. Quid mirum ergo, quod Vercellensis Ecclesia, eum Proto-Parentis præclaro nomine, aliquando compellarit, nulla habita ratione

præ-

præcedentium Episcoporum, quorum forte vix nostra ex illo ferali Diocletiani incendio, & persecutorum exagitationibus emerserant? Qua ratione Matthæus Evangelista, agens de Christi humana generatione, priorem commemorat David; non quod David fuerit primus in hujusmodi generationis serie, quam constat ab Abraham, initium sumere; *sed quia David* (sunt verba Chrysostomi) *in omnium versabatur ore ob insigne bonoris, & gloriæ, ob ipsius quoque temporis spacia junctiora. Non enim olim defunctus fuerat, sicuti Abraham. Et si enim utrique promiserat Deus; sed illud tanquam antiquum reticebatur: hoc vero quasi recens, & novum ab omnibus celebrabatur. Nemo igitur Christum, filium Abraha, sed omnes filium David nominabant. Etenim propter tempus, ut dixi, propterque Regnum, hic magis in hominum memoria, vigebat. Multa enim illius viri, & coram Deo, erat, & coram hominibus gloria.* Hæc Chrysostomus, Matthæum defennens, quod Christi humanam generationem a David, exorsus fuerit. Quibus rationibus mota, potuit de facili, & Ecclesia Vercellensis, Eusebium, cujus nomen tot, tantisque facinoribus ingens, omnium oculos, animosque impleverat, veluti auctorem suum, & Primum Præsulem, absque injuria præcedentium Episcoporum conclamare. Quod usitatum quoque, scimus apud alias Ecclesias. De Mediolanensi, quæ Barnabam Apostolum, gloriatur habuis-

habuiſſe conditorem, & primum Epiſcopum, teſtatur Clariſſimus Sormanus in Apologiſmo de orig. Mediol. Eccl. cap. 14. num. 6.: *Sydus*, inquit, *Barnabæ Clariſſimum, in hac quoque Metropoli oblituiſſe nonnihil, propter recentius jubar, proximiuſque Doctoris Ambroſii, ſive ineffabili ſuperum conſilio, ſive natura nos, ad ea fortius ducente, quæ utiliora videntur ex proximo. Tanta enim Ambroſius, Eccleſiam hanc, ſapientia perfudit, tam ſalubribus inſtitutis efformavit ex integro, ut ipſum ceu conditorem alterum, ſuſpexerint noſtri Majores*. Quam ob cauſam, S. Senator, qui ducta ſerie a D. Barnaba, inter Mediolanenſes Epiſcopos eſt ordine XXIII., in quodam Catalogo antiquo Epiſcoporum Mediolanenſium, apud Jo. Franciſcum Beſutium in ſua Hiſtoria Pontif. edita Mediolani anno MDXCVI. fol. 317., appellatur decimus, facta nempe ſupputatione a D. Ambroſio. Et quamvis hic Auctor aſſerat dici decimum inter Archiepiſcopos, quorum primus, qui hoc titulo uſus fuerit, eſt D. Ambroſius; tamen probabilius eſt, ideo appellari decimum, quod ob rationem allatam a Clariſſimo Sormano, D. Ambroſius habitus fuerit, ceu Conditor Eccleſiæ Mediolanenſis. Nam titulum Archiepiſcopi quod ſpectat, eſt certo certius D. Ambroſium, illum nunquam uſurpaſſe, ſicuti liquet ex Actis Concilii Aquilejenſis, & ex operibus ipſius ſancti Doctoris, in quibus nunquam hunc

hunc titulum usurpat, contentus, se communi vocabulo appellare Episcopum. Quinimò nomen Archiepiscopi fuisse in Italia inauditum, ferè usque ad sæculum sextum, quo florebat S. Symmachus Papa, qui omnium primus inscripsit: *Dilectissimo, atque Charissimo Fratri, Laurentio, Mediolanensis Ecclesiæ Archiepiscopo. Symmachus Episcopus in Domino sal.*; norunt Eruditi.

Ex quo factum est, quod antiquiora monumenta Ecclesiæ Vercellensis, ubi agunt de aliquo Episcopo, Successore D. Eusebii, illius Sessionis ordinem definiunt, sumpto numero ab eodem D. Eusebio. Plura possent adduci exempla; sed duobus contenti simus. In veteri Kalendario MS., sub XVI. Kal. Junii, adnotatam legimus translationem Sacri Corporis D. Æmiliani primi, his verbis: *Anno D. I. MCLXXXI., transpositum est Corpus B. Æmiliani, hujus Ecclesiæ, Venerab. Episcopi, & Confessoris, a B. Eusebio, decimi*. In antiquis Breviariis MS., quæ adhuc extant, Historia D. Honorati, quæ legebatur, & adhuc legitur ejus die natali, habebat: *Honoratus Episcopus, in Episcopis Vercellensibus, a B. Eusebio tertius numeratur*. Eam quidem postea, Episcopus Bonhomius, in libro Sanctorum Vercellensium, qui ejus jussu prodiit post acceptationem Breviarii Romani, summam per injuriam mutilavit, demptis illis verbis *a D. Eusebio*, ita ut ad nostra usque tempora legatur absolutè: *Honoratus Episcopus, in*

Episcopis Vercellensibus, *tertius numeratur*. Sed, id tantum abest, quod nobis vel minimum officere possit, quod imò subdolè egisse Bonhomium, apertè declarat, ut opinionem suam, recenter invectam, credibiliorem redderet.

Ex quibus omnibus, quis statim intelligit, quid sibi naturaliter velit illud *primus*, & *tertius*, quod legitur in Epitaphio D. Honorati. Vel enim Eusebius, *primus* dicitur ob præclara, & celeberrima merita, quibus Ecclesiam Vercellensem sibi devinxit, ita ut suspiceretur veluti Proto Parens, sicut ex eadem ratione, Ecclesia Mediolanensis, teste Clarissimo Sormano, D. Ambrosium, *ceu alterum Conditorem* aspectat. Vel *primus* & *tertius*, in Epitaphio usurpata fuere, juxta usitatum morem Ecclesiæ Vercellensis, mox exactum, supputantis Sessionem Episcoporum, qui D. Eusebio successerunt, ab ipso D. Eusebio; intelligendo scilicet verba illa *primus*, & *tertius*, non absolutè, sed relativè, ad denotandam horum duorum Episcoporum *Eusebii*, & *Honorati*, distantiam inter se; quorum Honoratus est dubio procul tertius à D. Eusebio. Ad cujus numeri appositam verificationem, rectè D. Eusebius appellari debet *primus*, hoc est, quod duabus Sessionibus D. Honoratum præcesserit; quin hoc inferat D. Eusebium fuisse absolutè primum Vercellensem Episcopum. Sicuti enim nemo dixerit D. Ambrosium fuisse primum Me-

Mediolanensem Episcopum ,* ob id , quod D. Senator dicatur decimus ab eo : & D. Eusebium fuisse primum Episcopum Vercellensem , ob id præcisè , quod D. Honoratus dicatur tertius ab eo , & D. Æmilianus , decimus ; ita pariter nil nos cogit , ut dicamus D. Eusebium primum Episcopum Vercellensem , per id præcisè , quod dicatur , & sit *primus* , relativè ad SS. Honoratum , & Æmilianum , qui dicuntur , & sunt *tertius* , & *decimus* ab eo . Comprobat id manifestè , quod D. Eusebius nullibi appellatur *primus* , nisi in relato Epitaphio . Ibi enim dumtaxat habet relationem ad Successores , quorum sedes ab eo numerantur . Certè in Epitaphio ipsius D. Eusebii , in quo nulla ad Successores relatio, legitur tantummodo *Eusebius Præsul* , nulla facta mentione , quod fuerit *primus* . Quod tamen nullo bono jure omitti debuerat , ut pote ipsi magnopere gloriosum , si revera fuisset *primus Vercellensis Episcopus* . Adde , quod in monumentis nostris , nulli Episcoporum nostrorum , quoties numerati describuntur , assignatur locus , & numerus Sessionis absolutè *tertius* , & *decimus* &c. , sed semper *relativè* , nempe *tertius* , *decimus* &c. à D. Eusebio . Quod evidens signum est neque D. Honoratum fuisse absolutè tertium Episcopum , qui Vercellis sederit , neque Æmilianum decimum , adeoque neque Eusebium primum absolutè . Id evidenter demonstrat Epitaphium ipsum D. Honorati , habens expressis verbis ,

Honoratum tenuisse tertium, Vercellensem Sedem, postquam Eusebius e vivis excessit.

Tertius hic Urbis Sedem tenuit Honoratus
Antistes, cujus Spiritus astra tenet,
Eusebius Præsul primus, qui Martyr Alumnus,
Coelorum postquam Regna beata petit.

Demum *primus*, quod in Epitaphio D. Honorati legitur, non ita clarè afficit *Præsul*, quin commodè applicari possit verbis subsequentibus, hoc pacto: *Eusebius Præsul, primus qui Martyr &c.*, unde hæc lectio apta reddatur: *Honoratus tenuit tertius Vercellensem Sedem, postquam Eusebius, martyrio coronatus, primus Cœlum petiit*. Qua lectione retenta, corruit indubiè totum argumentum nostri Dissertatoris. Hunc autem esse verum sensum Epitaphii, suadent verba, quæ sequuntur, quibus Eusebius dicitur non fundasse Ecclesiam, sed dumtaxat *docuisse dogmate recto, atque complesse sermonibus, & actibus*.

Atque hæc dicta sint, perinde ac si Epitaphium illud, vetustissimum esset, ac incisum Sepulcro D. Honorati, quo primum tempore, hoc positum fuit. At non ita, profecto sentiendum est. Nulla vel debilis conjectura suadet, nulla monumenta produnt lapidem illum, ad Sepulcrum D. Honorati repertum fuisse; sicuti nullis monumentis constat Arcam Sepulcralem D. Honorati, effossam fuisse. Lapis ille,

ille, quinquaginta circiter antè annos, adhuc superstes erat, nulli quidem Arcæ appositus, sed in congeriem lapidum rudium, & informium, veluti nullius momenti res, conjectus. Nunc amplius non extat. Licet arguere, pro cæmento, in fabricam Ecclesiæ illatum fuisse, adeoque in nullo fuisse pretio; cum de cætero reliqui lapides, continentes memorias Sanctorum, quorum Corpora, in hac Eusebiana Basilica, exhumata fuere, summa diligentia ad hanc usque diem, conserventur, uti est Epitaphium D. Eusebii, D. Flaviani, & aliorum. Quod indicio est, vel Epitaphium illud apocryphum esse, vel fuisse recenter incisum.

Et quidem esse recentissimum, & non superare sæculum XV., firmissimè suadet forma characterum, quibus constabat. Eos fuisse rotundos, & valde lævigatos testantur Viri fide dignissimi, adhuc in vivis agentes, qui Epitaphium sæpius legerunt, & attentè consideraruntt, quosque hac de re, diligenter interrogavimus. Notat eruditissimus Mabillonius antiquitatem MSS., à characterum forma, potissimum colligi, addens omnia vetusta, quandoque oblongis, plerunque verò quadratis characteribus conscripta, & exarata esse, nunquam verò rotundis. Doctissimus P. Honoratus à S. Maria latinè redditus, de recto usu crit tom. 1. differt. 1. art. 3. §. 5. signantius loquens, scribit characteres ante Cæsarum Principatum, simplicissimos fuisse

ab Augusto verò ad Antoninos, quadratos, & peræquæ proportionis: paulo post obliquos, & in longos apices, productos: & demum ab inundatione barbararum Nationum, in rudem quandam rationem desiisse, & Gothicos prorsus apparuisse. Quare cum D. Honoratus obierit sæculo quinto ineunte, quo tempore characteres non amplius rotundi, sed alterius figuræ, in usu erant; certum est, quod de eo tempore, Epitaphium exsculptum non est. Quinimò eadem certitudine tenendum, neque exsculptum fuisse ante dimidium sæculi XV.. Nam ex testimonio ejusdem P. Honorati cit. differt. 1. art. 5. num. 17., tunc tantum incæpit Characterum rotundorum usus, cum antea semper fuerint in usu characteres Gothici, vel Gothicos proximè imitantes. Adde stylum ipsum, & scribendi rationem, qua Epitaphium conceptum est, apertè redolere morem scribendi ejusdem sæculi XV.. Possem hic ulterius rem persequi, & armis nostri Differtatoris tectus, ejus ictus eludere. Ipse fol. 46. me carpit, quod afferam Epitaphium D. Justiniani, ad ostendendum hunc Sanctum Præsulem, Vercellis sedisse, hoc argumento utens: *Epitaphium non dicit Justinianum sedisse Vercellis: & quamvis Vercellis tumulatus dicatur*, *nonne possunt*, ait, *Vercellis in Sepulcro condi illius Spolia, qui alibi natura concessit? Et nequit ibi vita migrare is, qui alibi munere Pontificio defungebatur*? Jam vero Epitaphium D. Honorati

non

non prodit hunc Sanctum Pontificem, & Eusebium, Vercellis Episcopos sedisse, non prodit ibi defunctos esse, non prodit demum Vercellis tumulatos fuisse. Quid ergo? Sed hæc futilia sunt. Discat tamen quibus pugnet armis.

Verum quid longius verba frustra profundo? Noster Dissertator, nullo bono jure, nobis objicit Epitaphium S. Honorati. PP. Eustorgiani Mediolani, & in ipsorum Basilica conditum esse, & usque ad hæc tempora asservari, S. Honorati Vercellensis Præsulis Sanctum Corpus, constantissima traditione credunt: Illud honorificè theca argentea inclusum, apud se sepositum dicunt: illud quotannis publicis in supplicationibus, solemniter deferunt: illud demum ibi sepulcrum, sortitum esse affirmant Annales MS. Cænobii Eustorgiani; quorum Auctor postquam narravit quosdam insignes Viros, in Basilica Eustorgiana, sepulcrum nactos esse, prosequitur fol. 2.: *Oltre a quel poi, S. Onorato Vescovo di Vercelli, parimenti uno de Discepoli di Sant' Ambroggio, morendo in Milano sotto l'Impero d'Onorio, ed Arcadio fratelli circa l'anno 410., quivi fu sepolto, le Ceneri, e framenti del cui Corpo, oggidì ridotti in una Cassetta d'argento, che è nella nostra Sagrestia, portandosi in processione, per impetrare ò pioggia, ò serenità, secondo il bisogno, più volte ho veduto io, tal grazia conseguirsi.* Quod cum ita sit; qua fronte Pater mi Admodum Reverende, Cænobi-

ta Eustorgianus cum sis, & monumenta ejusdem Cænobii, probe calleas, Epitaphium illud nobis obijcis? Nonne inde convinceris, improba fide, & contra propriam conscientiam, nobiscum agere? Et ecce quò tandem desinit triumphus tuus.

Addis fol. 55., in omnibus Elenchis Episcoporum Vercellensium, in Synodo Episcopi Broliæ, in picturis Palatii Episcopalis, in iis demum, quæ antiquitus conspiciebantur in Basilica Eusebiana, semper primum locum occupare D. Eusebium, & aliorum Episcoporum agmen ducere. Deinde subdis: *Fileppus D. Albino, in Elencho Antistitum Vercellensium, sextam Sedem post D. Eusebium, ac Maximiano nonam attribuit; quod in parietibus Ecclesiæ Cathedralis præfatæ, unius, alteriusque effigies, iisdem locis, penicillo describebantur. Qua de caussa, ipse D. Eusebio prima subsellia concedere renuit, aliosque ante eum Præsules effingit, cum in eodem Templo, imago D. Eusebii, primum locum ab antiquis obtinuerit?* Hoc argumentum, sicut & cætera, frivolum esse, & nugatorium, mox patebit. In omnibus Catalogis Episcoporum Vercellensium, in Picturis tum quæ olim erant intra Basilicam Eusebianam, quam quæ nunc extant in Palatio Episcopali, depictæ opera Joannis Stephani Ferrerii, Episcopi Vercellensis, sæculo elapso ineunte, Eusebium occupasse, & occupare primum locum, certum est. Ergo ne fuit primus Episcopus Ver-

Vercellensis ? Ridicula consequentia. Quam ut percipias, sisto ante oculos, Catalogum Progenitorum Salvatoris, a Matthæo descriptum. In eo primum locum occupat Abraham, & reliquorum agmen ducit: ergo ne nullus ante Abraham, pertinet ad seriem progenitorum Christi ? Quis sanæ mentis id dixerit ? Sicuti ergò in Catalogo Matthæi, Abraham primus est in ordine, relatè ad reliquos, qui sequuntur, quin e Progenitorum serie expungi debeant Thare Pater Abrahæ, aliique antiquiores Patriarchæ; ita pariter in Catalogo Episcoporum Vercellensium, Eusebius est ordine primus relatè ad eos, qui inde sequuntur, quin tamen id inferat nullum ante D. Eusebium, Episcopum Vercellis sedisse. Toleranda utcunque esset nostri Dissertatoris argumentatio, si saltem in relatis Catalogis, Eusebius non solum esset ordine primus, sed præterea scriberetur *primus Episcopus Vercellensis*: Hoc in nullo Catalogo, scriptum legitur præterquam in illo Episcopi Broliæ, qui nimis rectus est, ut fidem aliquam mereatur. Catalogus ab Episcopo Bonhomio contextus, præterquam quod ex dictis, nullius est auctoritatis, mirè nihilominus causæ nostræ adstipulatur. Nam ipse Bonhomius, qui deinde statuit Eusebium, primum Episcopum Vercellensem, hoc idem inter res dubias differtè reponit in Epistola Enciclyca ad Clerum, & Populum Dioecesis Vercellensis: *Quæ sanè res*, ait, *de Sancti*

Eu-

Eusebii historia, *in dubium vocantur*, *hæ duæ potissimum sunt*, *una an is Vercellarum Episcopus primus fuerit*, *altera an martyrium obierit*. Imagines Episcoporum olim in Epystiliis columnarum pictas quod spectat; inter has quidem occupabat primum locum illa S. Eusebii, sed nullum præferens signum, quo indicaretur suisse primus Episcopus Vercellensis, sicuti testantur ipse Bonhomius, Modena, & Ferrer., testes oculares. Habebat enim subscriptio: *S. Eusebius Episcopus Vercellensis*, *& Martyr*, dumtaxat. Et sic pariter imagines reliquorum Episcoporum, ordine succedebant, una post aliam, inscripto nomine, nullo tamen apposito numero; ut propterea non ex nota numerali, quæ nulla extabat, sed ex loco, quem quælibet occupabat, argumentum sumi debeat de ordine successionis inter Episcopos ibi depictos. Non solum autem intra ambitum Basilicæ Eusebianæ, nonnulli Episcopi, Eusebio præeunte depicti erant, sed quoque extra fores in atrio, seu vestibulo ipsius Ecclesiæ, alia series Episcoporum teste Modena, depicta erat, quorum unus post alium succedebat, ut ordinem inter ipsos servatum fuisse, clarè dignosceres. Quo ex Auctore, idem pariter adnotavit Franciscus Augustinus ab Ecclesia, Episcopus Salutiensis in Catalogo Scriptor. Pedem. edito Taurini anno MDCXIV. Picturæ jam tum vetustate adeo obliteratæ erant, ut nullius nomen inscriptum legi posset. Tres tantum

Pon-

Pontifices, de quibus in Differtatione nostra, unica Tabula supra atrium Portæ Majoris, expressi, vix quidem, sed adhuc internoscebantur, cum subjecta epigraphe, *Meritis e-rum* &c. Et hi quidem agmen reliquorum, qui inferius sequebantur, hinc inde ducebant. Ex quo facile quis intelligit, classem hanc pro foribus stantem, esse Episcoporum, qui D. Eusebium præcesserunt. Nam pertinuisse ad Eusebianam classem, quæ intra ambitum Ecclesiæ depicta, erat, ejusque comminationem, inverisimile prorsus est, sive spectes situm, sive picturarum antiquitatem, sive tabulam tres illos Pontifices continentem. Hic mos pingendi Episcopos tum intra ambitum Ecclesiæ, tum in atriis, & foribus, fuit etiam apud alias Ecclesias usitatus. Absoluto Concilio Constantinopolitano tertio sub Agathone, qui Ecclesiam rexit ab anno DCLXXVIII. ad annum DCLXXXIII., in quo omnes Patriarchæ Orientales, damnati fuere, ut Monothelitæ, narrat Bibliotecarius, quod *abstulerunt de dypthicis Ecclesiarum, nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorum, aut in foribus, ubi esse poterant, auferentes*.

Nihil amplius habet noster Differtator contra antiquitatem Ecclesiæ Vercellensis, a nobis in differtatione nostra validè stabilitam, præter ea, quæ supra refutavimus. Hæc profecto sunt compertissimæ levitatis, vel eruditionem spectes, vel criticam, vel argu-

men-

mentorum pondus, temeraria etiam pleraque, alia erronea. Uno verbo, nihil prorsus dixit, quod aliquid facessat, aut urgat, convicia si excipias, quibus pleno ore, obtrudere nititur imperitis & indoctis inutiles clamores, veluti exquisitissimæ doctrinæ succos. Et tamen, quis credat? Veluti re bene gesta, triumphum agit: *Momenta*, inquit fol. 56., *quibus Fileppus innitiur*, *partim fabellarum similia*, *partim erroribus patentibus laborantia*, *suspectionis*, *nutantisque fidei*, *cuncta innotuere*. O' eximium impugnatorem!

PARS

PARS SECUNDA

De jure Metropolitico Ecclesiæ Vercellensis .

Acturi in Dissertatione nostra de Metropolitica Dignitate Ecclesiæ Vercellensis veluti præfando , vetustam illam Tabulam ex Modena regerimus , quæ tres Pontifices expressos habebat , cum subjecta epigraphe , *Meritis eorum* &c. , quæ haud obscurè quid magnum innuit pro Ecclesia Vercellensi . Noster Dissertator , statim insurgit fol. 59. : *aut tabula* , inquit , *vetustè depicta , tres Præsules , scilicet SS. Sabinianum , Potentianum , & Martialem exprimens , falsitatem redolet , aut Fileppus in culpam injustitiæ incidit , non adscribens primorum Antistitum catui , Potentianum* . Hac de re jam fecimus satis , supra . Breviter rursum dico , non modicæ temeritatis esse , Modenam Virum doctum , & probum , qui de visu testimonium fert , in mendacii suspicionem vocare , nullo , vel levi tam contumeliosæ suspicionis, fundamento prolato , Deinde inevitabili instantia , quam jam supra attulimus , iterum argumentor . Aut falsitatem redolet , quod Paulus Apostolus fuerit

D. Pe-

D. Petri Socius in Romana Evangelii prædicatione, propterquod S. Leo Papa, ambos appellat Patres, & Pastores Urbis Romæ, & fere semper in antiquis picturis, ambo una, eademque tabula exprimuntur: aut Romana Ecclesia *in culpam injustitiæ incidit, non adnumerans* D. Paulum, *cœtui primorum Antistitum* Romanorum.

Excutiamus jam, si placet, ratiocinationes, quibus adversus demonstrationes nostras, jus *Metropoliticum* Ecclesiæ Vercellensis se convellere jactat. Ast, quid ratiocinationes dico? Inutilia verba, aptius dixeris, & inanium verborum obscura involucra, dicteriis intexta; digna sane, quæ sibilis potius, quam ratiociniis explodantur. Ad rem accedamus.

PRO-

PROPOSITIO PRIMA

Dignitas Metropolitica Ecclesiæ Vercellensis, demonstratur auctoritate D. Athanasii, & Libri Synodici, qui prodiit temporibus Photii. Dissertator inanibus verbis, ineruditis sententiis, & pravis, ridendisque interpretationibus contra nostras demonstrationes agit.

Verba nostri Dissertatoris ob oculos pono *asserit Fileppus*, ait fol. 60., *Athanasium de Metropolibus Civilibus verba egisse eo loci, quo evocat* (ita) *Paulinum Galliarum Metropolis Episcopum, Dionysium Italiæ Metropolis Episcopum, Luciferum Insularum Sardiniæ Metropolis Episcopum, & Eusebium ab, sive in Italia Episcopum. Siste, & audi Fileppe (ad te enim quin identidem revertatur, cohiberi non potest oratio) audi argumentum, quod te occupat, teque sic premit. Assero verba Athanasii allata a Theodoreto*, Locus Theodoriti a Dissertatore citatus est lib. 2. hist. Eccl. cap. 15. juxta versionem Valerii. Deinde affert verba Athanasii *in Epist. ad Solitar. Vit. agent.*, prout extant apud Theodoritum loc. cit.. Liceat hic mihi obiter, & veluti per transennam notare, verba Atha-

Athanasii, quæ laudantur a Theodorito, non esse ex Epistola, ad solitar., sed ex Apologia, sicuti ipse Theodoritus loc. cit. juxta versionem Christophorsoni, præfatur his verbis: *De qua re etiam Divinus ille, & admirabilis vir Athanasius, scribit in Apologia sua*. Verba Athanasii laudata a nostro Dissertatore sunt hæc: *ex quorum numero, clarissimæ sunt confessionis Viri religiosi, & Episcopi boni, Paullinus Episcopus Trevirorum, quæ Galliarum Metropolis est; Lucifer metropolitanus Sardiniæ: Eusebius Vercellis Civitate Italiæ: Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ Metropolis*. Ex quo textu, hoc instaurat argumentum: *Athanasius*, inquit, *Luciferum non appellat Episcopum Metropolis Sardiniæ, sed Metropolitanum Sardiniæ; Lucifer non obtinuit Dignitatem Metropolitæ Civilis: ergo fuit Ecclesiasticus Metropolita. Qua de causa non debes intelligere cætera Athanasii verba, de Episcopis Trevirensi, ac Mediolanensi allata. Non etenim casu, & inconsulto exprimit Paulinum, Dionysium, & Luciferum, Episcopos Urbium Metropoleon extitisse; sed ut patefaceret eos præcipuarum Ecclesiarum, quæ in illis Provinciis, Primatum tenerent, fuisse Præsules. Quamobrem de D. Eusebio Vercellensi id prætermisit; eo quod urbs illa, nec gradu Metropolitano Civili, nec Ecclesiastico polleret*. Mittat quæso, has verborum ambages, nam iis, quid sibi velit, nullus intellexerit. Esse sibi contrarium, omnibus constabit, qui expen-

penderint, eum modo appellare Luciferum non *Metropoli Sardiniæ Episcopum*, sed *Metropolitanum Sardiniæ*, & super his verbis instaurare argumentum modo eundem Luciferum, Paulinum, & Dionysium appellare *Episcopos Urbium Metropoleon*, & inde probare fuisse Metropolitas Ecclesiasticos; nunc Dionysium ex verbis Athanasii asserere Metropolitanum, nunc hanc sententiam reijcere. Forte etiam infideliter retulit verba Athanasii ex Theodorito; nam juxta versionem Christophorsoni, Athanasius loco cit. non dicit *Luciferum Metropolitanum Sardiniæ*, sed *primariæ Urbis Insulæ Sardiniæ Episcopum*; cui versioni consonat ea, quæ extat apud De Rubeis in Dissertatione nostra citatum. Sed quia Valerii versionem ex adverso citatam non habeo, in qua fortassis ea verba reperiuntur: & hæc omnia ad rem non faciunt, ideo illa libenter prætereo. Præterire non possum verbis Athanasii a Dissertatore allatis manifesto comprobari Vercellas fuisse Metropolim Ecclesiasticam: *Eusebius*, ait, Athanasius, *Vercellis Civitate Italiæ, Dionysius Mediolani, quod & ipsum est Italiæ Metropolis*. En duas in Italia Metropoles, Vercellas nempe, & Mediolanum, *quod & ipsum est Metropolis Italiæ*, subaudi, sicut *Vercellæ*. Hæc enim verba, *quod & ipsum*, sunt evidenter implicativa & naturali vi verborum, referuntur ad præcedentem periodi partem, qua proximè dicebatur, *Eusebius Vercellis Civitate Italiæ*, clarèque significant,

K alio-

alioquin ineptus esset sensus, Mediolanum *& ipsum*, non minus quam *Vercella*, esse Metropolim Italiæ. Sequitur Dissertator: *sanè meam*, inquit, fol. 61., *ad sententiam Filippi aggrego*, sustinens *S. Ambrosii tempestate, Ecclesiam Mediolanensem, jus Metropoliticum apud Italiam, adeptam esse; imò contendo hunc gradum Metropolitico-Ecclesiasticum, hocce tempore etiam ad Italicam Dioecesim accessisse*. Hanc doctrinam se probaturum pollicetur, his verbis, quæ immediatè sequuntur: *Priusquam ad nostram rem probandam descendamus*. Sed hac de re, optimus Criticus, nullum deinceps verbum habet; sed totum se convertit ad affirmandum (de more, absque ratione & auctoritate) Dignitatem Metropolitico Ecclesiasticam, olim resedisse penes Urbes Metropoles Civiles: *te monitum velim*, inquit cit. fol. 61., *Dignitatem Metropolitico-Ecclesiasticam, penes Urbes Metropoles Civiles olim sitam fuisse, dempta Alexandria*.

Nos certè in Dissertatione nostra, non temnendis momentis comprobamus (quæ omnia noster Dissertator pertransit) non semper olim eam rationem initam esse, ut Metropoles Ecclesiasticæ constituerentur in Metropolibus Civilibus. Id videtur negari non posse: *Nemo sibi persuadeat*, inquit Berterius Diatriba prima cap. 4., *Civiles Dioeceseon, & Provinciarum formas in Ecclesia politia, semper observatas. Nec enim id res, ratione suadet;* quo-

quemadmodum suo loco planè, & dilucidè explicabitur. Idem asserit Natalis Alexander infra citandus. Num Dissertator noster, aliquid affert, quod hanc doctrinam disjiciat? Nihil more suo. Sed audi. Nos in Dissertatione nostra, inter cæteras asserti nostri probationes, adducimus exemplum Ecclesiæ Arelatensis, quæ, Dignitatem Metropolitico-Ecclesiasticam obtinuit, licet Dignitas Metropolitico-Civilis esset penes Trevirorum Urbem. Huic doctrinæ, pro omni impugnatione opponit quæ sequuntur: *Honorius Augustus*, inquit fol. 61., *administrationem Galliarum, quæ apud Trevirorum Urbem, tunc a VVandalis excisum, erat constituta, Arelate transtulit, quam ipse Matrem omnium Galliarum vocavit, ut extat in supplice libello ab Episcopis Gallicis, ad D. Leonem perlato, eaque proinde Metropolis Civilis effecta fuit*. Hic, sicut & alibi sæpè, mirè emicat magna vis Critices, & vasta eruditionis copia nostri Dissertatoris. Quod Metropolis Civilis e Treviris, Arelate translata fuerit: quod Honorius hanc postremam Urbem appellarit Matrem omnium Galliarum; ad rem nostram prorsus non facit. Nobis sufficit, quod ex testimonio S. Gregorii Magni, in Dissertatione nostra, citato, Arelatensis Ecclesia *ab antiquis temporibus*, quando nondum erat decorata, Dignitate Metropolitico-Civili, fuerit Metropolis Ecclesiastica. Deinde totam illam congeriem verborum, consarcinatam

tam esse, vel ad imponendum, vel ex eruditionis inopia, convincit Natalis Alexander. Meminit doctus hic Auctor libelli supplicis, de quo noster Dissertator loquitur, & hæc verba habet, histor. Eccl. to. 3. Dissert. 16. fol. 186. edit. Lucæ 1734. *Libellus supplex*, inquit, *ab Episcopis Provinciæ Viennensis S. Leoni Pontifici Maximo, porrectus est anno 450., ut ab ipso restitutionem Arelatensis Ecclesiæ in pristinam dignitatem Metropoliticam obtinerent, quæ ipsam ante minuerat, ob contumaciam Hilarii Arelatensis, qui Bonifacii Papæ Decreto, Metropoliticam Arelatensis Episcopi potestatem, intra solam Provinciam Viennensem, constringenti, parere recusabat; quod Decretum illud convelleret Rescriptum Zosimi, non Viennensem Provinciam dumtaxat, sed utramque Narbonensem, Arelatensi Episcopo, ob S. Trophimi reverentiam subijcientis. Sic autem habet citatus Libellus*: " Omnibus Gal-„ licanis Regionibus notum est, sed nec Sacro-„ sanctæ Romanæ Ecclesiæ habetur incogni-„ tum, quod prima intra Gallias, Arelaten-„ sis Civitas, missum a Beatissimo Petro „ Apostolo " (clamet ante Decium in Galliis Religionem Christianam susceptam non esse) " S. Trophimum habere meruit Sacer-„ dotem, & exinde aliis paulatim regioni-„ bus Galliarum, bonum fidei, & Religio-„ nis infusum. " Zosimus Papa, cujus Rescriptum hic innuunt ii Episcopi, Sedem Romanam iniit anno CDXVII. Rescripti particu-

ticulam, quæ ad rem nostram facit, affert. Natalis ibid. fol. 185. in fine: *Ad quam* (Arelatensem Urbem) inquit Zosimus, *primùm ex hac Sede, Trophimus Summus Antistes, ex cujus fonte, tota Gallia, fidei rivulos acceperunt, directus est*. Sunt, ut vides, Zosimus Papa, & Episcopi Viennensis Provinciæ, qui appellant Arelatensem Ecclesiam, omnium Galliarum Matrem. Addit Natalis citato fol. 186. versic. verùm: *Neque enim falsò asserit Zosimi Epistola, Arelatensem Episcopum semper fuisse Metropolitanum, neque id antiquis monumentis ullatenus repugnat. Fateor quidem in Notitia Imperii, Arelatem subjici Viennæ, ut Metropoli; sed habetur ibi, sæcularis auctoritatis ratio, non spiritualis. Nec obstat, quod in Concilio Arelatensi primo* (celebratum est Anno CCCXIV.) *Marinus Episcopus de Civitate Arelatensi, Provincia Viennensi, subscribat; dicitur namque de Provincia Viennensi, spectata dispositione Civili Provinciarum, non verò Ecclesiastica; quod ex eodem Concilio compertum est, in quo Verus Episcopus Viennensis, post Marinum Arelatensem, subscripsit; quod non ita factum esset, si Verus Metropolitanus fuisset Marini*. Quibus omnibus stantibus, palam est, quod nisi Censores sapientissimi, nos certos redderent de vasta eruditione nostri Dissertatoris, cogeremur ipsum opinari vel ineruditum esse, vel imponendi pruritu laborare. Sed nos paululum expectare jubet: *paululum*, subdit fol. 62., *expectet Fileppus, paullulum sustineat*.

Aliquod magnum hic subesse oportet. Sed quid expectare jubeor? Judicium Jacobi Sirmondi, dicentis: *omninò Romam inter, & Mediolanum, nulla olim Metropolis Ecclesiastica intercessit*. Dixeris eruditione m mysteriis plenam. Nos contendimus Metropoliticam Dignitatem, Ecclesiæ Vercellensi accessisse, antequam Mediolanensis Ecclesia esset Metropolitana: eamque Dignitatem Vercellis desiisse dicimus, quando Mediolanensis Ecclesia illam obtinuit; Ipse autem, ut probet; quid? nescio; affert auctoritatem Sirmondi dicentis, nullam olim Ecclesiam Metropolitanam intercessisse, Romam inter, & Mediolanum. Nonne omninò appositè, & erudite?

Cæterum, quæ deinde habet, fortassis graviora sunt. Nam toto Capite secundo, ad fol. 65., multis se probat, ut argumenta nostra, petita ab auctoritate D. Athanasii, disijciat. Sed tamen, si dicere liceat, nec felicius, nec eruditius. Videamus.

Duo sunt textus, quos hac de re, ex Athanasio afferimus. Primus ex Apologia de fuga sua, duas habet versiones; una apud Clarissimum De Rubeis, legit. *Liberius Romanus Episcopus, Paulinus Galliarum Metropolis Episcopus, Dionysius Italiæ Metropolis Episcopus, & Eusebius ab Italia*, seu *in Italia Episcopus*. Altera apud Ferrerium nostrum fol. 45., & apud Bonhom. fol. 17. sic reddit: *Liberius Romanus Præsul, Paulinus Galliarum Metropolitanus, Dionysius Italiæ, Lucifer Sardiniæ, Euse-*

sebius item Italia . Secundus textus ex hist. Arian. ad solit., & ipse duas habet versiones; una apud eundem De Rubeis , habet : *Claram ediderunt confessionem Paulinus Trevirorum Galliæ Metropolis Episcopus , Lucifer Metropolis Sardiniæ Episcopus , Eusebius Vercellarum Italiæ Urbis , Dionysius Mediolani ; est autem & ipsa Metropolis* . Altera apud Bonhom. sup., & apud Ferrer. fol. 49. sic vertit : *Paulinus Episcopus Trevirorum , qui Galliarum Metropolis est , Lucifer Metropolitanus Episcopus Sardiniæ , Eusebius Vercellis Civitate Italiæ , Dionysius Mediolani , quod & ipsum est Italiæ Metropolis* . Hanc postremam ex Theodoreto approbat Dissertator noster fol. 60.

Ex prima versione primi textus , magno cum fundamento Metropoliticam Dignitatem D. Eusebii inferimus . Si quid autem obscuri in eo est , illud clarissime illustrat secunda versio , in qua terminus *Metropolitanus* , vel ipso nostro Dissertatore teste fol. 66. & 67., *uno , eodemque modo* , super Eusebium , & Dionysium *cadit* . Itaque ex verbis Athanasii claret Eusebium fuisse Metropolitam . Quid ad hæc noster Dissertator ? Primo irrisionibus agit , & dicit , quod hæ interpretationes *Sensum historicum torquent , ac depravant , ac tenebras legentibus offundunt* . Secundò dicit terminum *Metropolitanus* , significare Dignitatem Episcopalem , qua præditi erant Paulinus , Lucifer , Dionysius , & Eusebius : *In hac ejusdem versione* (loquitur de secunda) *evidenter cla-*

clarescit, inquit fol. 66., *mens Athanasii*, *exprimentis hoc termino* Metropolitanus, *eos Episcopali gradu donatos*. Ubi terrarum sumus? Ipse fatetur terminum *Metropolitanus*, utrumque afficere Eusebium, & Dionysium, & nihilominus non veretur, nos subsannare, quod dicemus ex verbis D. Athanasii colligi D. Eusebium fuisse Metropolitanum? Sed, ait, *Metropolitanus* ibi, idem significat, ac *Episcopus*. O miram (liceat hic mihi ejus phrasi uti) O miram cogitandi felicitatem! O validum ingenii acumen! Quis hanc facultatem ipsi concessit, à nativo sensu, verba violenter abstrahere? Quo auctore, quo fundamento, violentam adeo interpretationem obtrudit? Hucusque omnes, eum *Metropolitanum* dixerunt, intellexeruntque, qui Metropolitica Dignitate prædictus est, & nemo est unus, qui Metropolitanum, idem esse dixerit, ac Episcopum. Unde igitur *evidens est*, hunc terminum *Metropolitanus*, significare eos Viros, *Episcopali gradu donatos*? Nonne *evidenter clarescit*, id evidens non esse, imò violentam esse interpretationem? Cæterum parcendum est. Nam hisce, & similibus, se non seriò loqui, sed ludere, & jocari, ipse ingenuè ultro fatetur: *animi gratia*, inquit fol. 68., *nolo ludum dici æquare*, *jocisque tempus fallere*. Nos nihilominus, adhuc compellat, ut dicamus, quarè *Metropolitanus*, ubi appellat Dionysium, significet eum fuisse Episcopum Urbis Metropolis, Eusebium verò ap-
pel-

pellans, eum significet Metropolitanum Ecclesiasticum, cum idem terminus *Metropolitanus*, *uno*, *eodemque modo*, *super ambos cadat*? Dionysium non alia ratione dici Metropolitanum, nisi quia fuit Episcopus Urbis Metropolis, ipse D. Athanasius expressis verbis, alio loco nos edocet, & ita textum, intelligendum esse asserunt Berterius, De Rubeis, & Eruditi passim: D. verò Eusebium, Metropolitanum Ecclesiasticum, intelligere nos cogit, aptus ipsius textus, intellectus; ne non ita intelligendo, dicamus aut Athanasium ineptè locutum fuisse, aut *falsa expressione usum*, *aut nos in errorem*, *inducere voluisse*. Quod veluti Sancto Doctore indignum, execratur noster Dissertator fol. 66.

Reliquum est, ut expendamus, quid habeat contra alterum textum D. Athanasii. Sed nihil penitus habet: nosque supra ad evidentiam ostendimus inde probari Metropoliticam Dignitatem Eusebii. Non est itaque, cur fugientem, ulterius insectemur.

Demum si quid adhuc dubii ex verbis Athanasii, alicui superesset de Metropolitica Dignitate D. Eusebii, illud ex toto, sublatum iri, verbis Libri Synodici, qui prodiit temporibus Photii, de quo in nostra Dissertatione, nemo prudens dubitaverit. Refert Auctor Acta Concilii Mediolanensis sub Constantio, & inter ea, historiam, de qua Athanasius supra, in hæc verba: *Propterea Principes hujus Synodi*, *exilio Constantius mulctavit*,

Apo-

PROPOSITIO SECUNDA.

Solicitudo D. Eusebii, ejusdem Metropoliticam Dignitatem declarat. Dissertatoris inerudita, & nugatoria argumenta exsufflantur.

MEdiolanensem Ecclesiam, ætate Theodosii Senioris, Vercellensi subjectam fuisse; illamque demum, D. Ambrosii opera, atque caussa, ab eodem Theodosio, ad gradum Metropoliticum, evectam esse, tradit Hieronymus Rubeus. Noster Dissertator fol. 68. hanc opinionem, velut somnium, se dissipare pronuntiat, & hoc titulo, Caput tertium suæ Dissertationis inscribit: *Rubei de Metropolitico Primatu ex Vercellensi Ecclesia, ad Mediolanensem translato, somnium dissipatur.* Rationes, quas affert, sunt de more futiles, & vanæ. Sed quid dico? Nullam penitus dat. Totus versatur in carpendo Rubeo, & ostendendo Dignitatem, ac potestatem Metropoliticam, non à sæculari Principatu pendere, sed à Pontificum arbitrio: *D. Ambrosii*, ait fol. 69., *opera, & caussa, à Theodosio Augusto, Hieronymi Rubei judicio, Metropoliticus Primatus Ecclesiæ Mediolanensi, tributus fuit, ac ab Ecclesia Vercellensi abreptus, cujus ditioni, Theodosii senioris ætate, eadem subiacuit. Quo sequitur D. Ambrosium, injustitiæ, ac vanitatis*

tatis specie fuisse perfusum ; quod ad præripiendum à (ita) *Vercellis summam Dignitatem , manum dederit , seque honorum cupidum , palam ostenderit . Deinde inspicio in præfato Cæsare , præpotentia conatus in jus Romani Pontificis invectos ; quod ad istius auctoritatem , Metropolitæ productio attinet .* Deinde frustra nonnulla congerit aptè , & ineptè , ut probet esse Pontificis Romani , jus Metropoliticum tribuere . Et demum præclaram impugnationem suam , concludit his verbis : *Quamobrem,* ait fol. 70. , *Mediolani Episcopus , Dignitatis suæ ab avis destinata mensura additum decus imposterum acceptum , non usurpavit , non illud ab Imperiali potestate tributum , verùm legitimè , ex Apostolica auctoritate , salvo Canonum præscripto , obtinuit .* Nugatur iterum, & aerem verberat . Nullus unquam dixit Imperatoris esse Dignitatem Metropolitico-Ecclesiasticam , conferre . Neque Rubeus id asserit . Quamvis enim dicat honorem Metropoliticum Ecclesiæ Mediolanensi à Theodosio tributum , non ob id dat Imperatori jus , & potestatem erigendi Ecclesias , in Metropoles Ecclesiasticas . Corius hac de re agens hist. di Mil. par. 1. , habet : *Di poi Ambroggio mise l'animo a esaltar sopra tutte le Chiese di Lombardia , la Milanese per modo che , le sottopose venti Vescovadi , cioè Vercelli ec.* Numquid carpendus hic Auctor , quasi agnoverit in Ambrosio potestatem erigendi Metropoles , & Episcopatus subijciendi ? Numquid ideo D. Ambrosius vani-

nita-

nitatis, & ambitionis accusandus, quod Ecclesiam Mediolanensem, cæteris præferri curaverit? Verba Scriptorum, aptè sunt intelligenda. Dicitur tribuere is, qui quamvis aliquid sua auctoritate non tribuat, interventu tamen suo facit, ut ab eo, cujus est, tribuatur. Sic S. Matthæus narrat Centurionem, ad Jesum accessisse, eumque rogasse, ut ad puerum sanandum descenderet; quamvis teste S. Luca, Centurio ipse non accesserit, sed nuncios miserit, qui Jesum convenirent: *Non absurdè*, ait S. Augustinus, *Matthæus etiam quod vulgo possit intelligi, per alios facto accessu Centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit: accessit ad eum Centurio*. Neque S. Ambrosius, cujus opera, & causa, honos Metropoliticus, Ecclesiæ Mediolanensi tributus est, dici potest, id æstu ambitionis fecisse; cum plures zeli & religionis rationes, eum impellere potuerint ad ita operandum. Si enim, teste Apostolo, *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, si ad id carnis consiliis non moveatur; nonne & ex eadem ratione, Dignitas Metropolitica, sanctè appeti, & quæri potest? Nec pluribus opus est, ut infelicia argumenta, quibus noster Dissertator se veluti somnium, opinionem Rubei, dissipare gloriatur, exsufflentur; quemadmodum manifestum fit ea consideranti.

Ex gestis S. Eusebii Vercellensis, & S. Dionysii Mediolanensis, nec non ex Actis Concilii Mediolanensis sub Constantio, colligit,

git Rubeus Dignitatem Metropoliticam D. Eusebii: nosque idem præstamus in nostra Dissertatione. Tamque clara sunt, quæ afferimus, ut noster Dissertator, ea difficeri non audeat, contentus ineruditis nonnullis instantiis, se se pugnæ subtrahere: *Ex lectionibus*, inquit fol 71., *Officii Eusebiani, antequam Eusebius ad Occidentem reverteretur, ad Concilium Alexandrinum, Religionis Catholicæ redintegrandæ causa, se contulit, & totius Orientis Ecclesias à fide collapsas restituit: ergo (infero & ego ipse) fuit Metropolita totius Orientis*. Non est cur respondeam. Ipsum mitto ad Ecclesiasticam Historiam, ex qua discet D. Eusebium Orientales Ecclesias restituisse, vi legationis ab eodem Concilio Alexandrino in ipsum collectæ. Vide Ferrer. nostrum fol. 68. & seqq., Baron. ad annum CCCLXII., & reliquos Scriptores Annalium Ecclesiasticorum. Urget: *Hilarius seductò Italiam conscendit, ibique ardenter Religionis negotium egit: ergo Hilarius Metropolita totius Italiæ fuit*. Hic iterum mittendus est ad Historiam Ecclesiasticam. Ex Severo Sulpicio apud Ferrer fol. 80., constat plura ad hoc in Galliis coacta fuisse Concilia, juxta quæ Hilarius fidem Ecclesiarum reformavit; auctoritate utique ab iisdem Conciliis, accepta, ne dicamus absque missione, se in alienas messes, intromisisse. Deinde Hilarium Eusebii adjutorem fuisse, sicut & Evagrium Antiochenum, & Philastrium Brixiensem ha-
be-

betur apud Ferrer. fol. 93., ubi aliud insigne Metropoliticæ Dignitatis Eusebii in Mediolanenses, documentum prodit. Post narratam Eusebii reducis solicitudinem, in Religionis jacturis reparandis, præcipuè Vercellis, subdit hic Auctor fol. 92.: *Verum dum totis in Christo visceribus, vigilantissimus Episcopus, in eam curam incumbit, ut docendo, & lucubrando, Ecclesiam instauraret, Mediolano Literas accipit, quibus certior fit de Auxentii intoleranda nequitia, & hypocrisi, cujus omnia studia, contentionesque dum se Catholicum simulat, Catholicæ fidei extremam perniciem machinantur; ideoque gravioris personæ, præsenti auctoritate opus esse, quæ venenum lethiferum veteratoris hominis detegat, ne totum illum orthodoxum populum, ipsumque adeo Imperatorem inficiat; ac proinde ipsummet orant etiam, atque etiam, ut se se quamprimum, Mediolanum conferre ne gravetur, amplissimæ, & religiosissimæ Civitati, opem laturus, antequam hæreticæ pravitatis peste, & contagione, funditus interiret. Eusebius, & quia sibi a Romano Pontifice, Insubriæ, & totius Liguriæ, pastoralis cura, ac solicitudo fuerat demandata, & quia Mediolanensem Ecclesiam in Christi Visceribus, singulariter diligebat, continuò acerbissimo animi sensu, ac dolore perculsus, relictis Vercellis, Mediolanum contendit ad Auxentium; qua in Urbe, dum commoratus est, in eo laboravit, ut & Imperator, & Civitas ipsa, falsi pastoris*

ſioris fallacias cognoſcerent, *& expellerent*; *in quo non parum adiuverunt*, *Philaſtrius Brixienſis*, *& Evagrius Antiochenus*, *ac tandem Hilarius*. Quæ cum nitidiſſimè Metropoliticam Dignitatem nobis exhibeant, ſatius duxit Ferrerius, ea temerè legationi Pontificiæ attribuere, quam Euſebium Metropolitam fateri. Sed hac de re, infra. Hilarius itaque in Italia, vel Euſebii reducis adjutor fuit, ſicut Philaſtrius, & Evagrius, vel eo abſente (nam ante Euſebium ab exilio reverſus eſt) egit ſeu ipſo Euſebio auctore, ſeu poteſtate ab Conciliis accepta. Non eſt ergo cur noſter Diſſertator eum ob id, fingat Italiæ Metropolitam. Verum his ſe nugari profitetur. Concludit enim argumentationes ſuas his verbis, *Sat nugarum*, inquit fol. 72., *rebus ſeriis obſtrepuit*. Dehinc tranſit ad ſeria: *ingens*, inquit eod. fol. 72. *Euſebii ſolicitudo*, *explicat zeli ardorem*, *quo ipſe fragrabat* (ita) *nequaquam debitum*, *quod ex munere Metropolitæ proceſſit*, *& prodit paterni amoris æſtum*, *quo erga cunctos Italiæ Populos*, *& ſingulatim finitimos agebatur*. Hocque clarè patere dicit ex Epiſtola ipſius ad ſuos: *clare lucet*, ſtatim ſubdit, *ex Epiſtola illius ad ſuos*, *in vinculis conſcripta*, *& e carcere miſſa*, *cujus initium ejuſmodi extat*: " Dilectiſſimis Fratribus, &
" ſatis deſideratiſſimis, Presbyteris, ſed &
" ſanctis in fide conſiſtentibus Plebibus Ver-
" cellenſibus Novarienſibus, Hypporegienſi-
" bus "

„ bus " (Tabulæ noſtræ habent præterea , *Auguſtanis* , *Induſtrienſibus* , *&* *Agaminis ad Palatium*) " nec non etiam Derthonenſibus .
„ Euſebius Epiſcopus in Domino æternam ſa-
„ lutem . " Lepida profectò res eſt , velle ex hac Epiſtola , in qua Euſebius, ut Pater filios , omnes illos Populos alloquitur , inſtruit, informat , & jubendo docet , inferre Euſebium non fuiſſe Metropolitam ; cum evidentiſſimè conſtat oppoſitum . Sed *ſi ſcripſiſſet* , ait fol. 73., *ad eos ut Metropolita* , *miſſam non feciſſet Plebem Mediolanenſem*, *quæ amplitudine* , *&* *præſtantia* , *ſupra omnes laudatos Populos eminebat* . Hæc eſt tota ratio , ob quam dicit clarere ex relata Epiſtola , Epiſcopum Euſebium non fuiſſe Metropolitam . Et hoc amoenum eſt . Cuperem , ut aliquo , vel levi ſaltem momento , tam ſpecioſam doctrinam fulciret . Hanc nihilominus , libenter accipio , & ex ea inevitabiliter contra eum argumentor , atqui *Euſebius Mediolanenſem Plebem* , *miſſam non fecit* , ſed *miſit etiam ad Eccleſiam Mediolanenſem alteram ingenti ardore æſtuantem Epiſtolam* , *qua eam impellit* , *&* *urget ad non aliter credendum* , *niſi quod ab ipſo* , *&* *a Dionyſio ſuo Epiſcopo audierat* . Hæc Minor eſt noſtri Diſſertatoris expreſſis verbis fol. 73. . Ergo Euſebius ſcripſit ut Metropolita . Hæc conſequentia mea eſt ; deducitur tamen vi formæ .

Hanc ſolicitudinem Metropoliticam , proſecutum D. Euſebium , ab exilio reducem , in

mea Dissertatione comprobo verbis Vitæ ejusdem MS., quæ asservatur in Archivio nostro, quibus describitur legatio Ecclesiæ Mediolanensis ad Eusebium, & Eusebii Mediolanum accessus, ubi Mediolanenses *docens* (sunt verba citatæ Vitæ) *& confirmans, ad catera loca perrexit, circumiens, ac diligenter inquirens, si in recta fide ab omnibus perseveraretur, sicut ipse olim docuerat.* Hanc legationem, indicare Mediolanensium amorem erga D. Eusebium, asserit noster Dissertator. Ego & idem fateor. Ast a verbis: *Mediolanenses docens, & confirmans, ad catera loca perrexit* &c., quæ manifestè visitationem Pastoralem, & Metropoliticam auctoritatem Eusebii, ante oculos sistunt, quomodo se exsolvit? Nihil aliud habet præter hæc, quæ magis ipsum implicant, quæque identica esse liquet: *Dum Civium*, ait fol. 73., *desiderio indulgens, in conspectu omnium se dederit, sedulò inquisivit, eorum constantiam in nutrienda, colendaque fide, qua eos instituit, quamque atro impii Concilii tempore, fortiter servavit.* Nonne hoc idem comprobat Metropoliticam auctoritatem, & solicitudinem D. Eusebii? Indubitanter. O eruditam, & satisfactoriam responsionem!

PRO-

PROPOSITIO TERTIA

Jus Metropoliticum D. Eusebii colligitur ex Sermone XV. D. Ambrosii de S. Eusebio. Noster Dissertator, textum S. Doctoris, fraudulenter corrumpit, & temerat.

De solicitudine Metropolitica D. Eusebii erga Mediolanenses, testimonium fert D. Ambrosius serm. XV. de S. Eusebio: *Quidquid*, ait S. Doctor, *in hac sancta Plebe, potest esse virtutum, & gratia, in S. Eusebii magisterio reperitur*. Quibus verbis censet S. Doctor fidem Mediolanensium adscribendam esse solicitudini, & magisterio S. Eusebii. Nam illum, ibi Mediolanenses alloqui, conjicitur ex eo, quod Vercellis prædicasse, nullis monumentis proditur.

Ad hæc noster Dissertator fol. 75.: *esto*, inquit, *sermo de laudibus S. Eusebii, sit adornatus a D. Ambrosio; at in errorem elabitur Fileppus, asserens eum ad Populum Mediolanensem, habitum fuisse. D. Ambrosium Vercellenses allocutum, indicant hac sequentia verba, ejusmodi sermonis*: " Nam ut cætera taceam, illud quam admirabile est, quod in hac sancta Ecclesia, eosdem Monachos in-

„ instituit , quos Clericos *haberet* . “ *Hinc deducitur D. Ambrosium, hunc Sermonem apud Vercellenses habuisse* . *Ecce robur argumenti ejus exturbatum, eversumque humi jacet* .

Agnoscat hic Lector manum, & malam nostri Dissertatoris fidem; qui ut textum per fas, & nefas ad suam sententiam trahat, religioni, non habet, aliquid de suo addere. Textus habet dumtaxat: *in hac sancta Ecclesia, eosdem Monachos instituit, quos Clericos*. Ipse de suo addit, *haberet*, quia hoc addito D. Ambrosius est certè in suis partibus. Id forte fuit ex veritatis amore. Profitetur enim *se rectam semper, & nusquam inflexam, veritatis normam conservare*.

Itaque si addatur, *haberet*, fateor argumentum meum corruere. Ast si illud a textu removeatur, uti removeri debet, statim tota nostra Dissertatoris machina in fumum abit. D. Eusebium auctorem fuisse Instituti Canonici, quod Vercellis instauratum, deinde ad alias Regiones, & Civitates, præcipuè Mediolanum, propinquam Urbem propagatum est, nemo dubitaverit. Illud in Ecclesiam Mediolanensem, illatum esse ab ipsomet D. Eusebio, cum hujus Civitatis mores reformaret, credibilissimum est. D. Augustinus certè, Mediolano redux, ubi aliquando, ut notum est, apud Ambrosium diversatus, fidei præcepta, & Ecclesiasticæ disciplinæ normam acceperat, institutum illud in Aphricam transportavit, & suis Clericis exequendum propo-

fuit, ficuti adnotarunt Baronius Muratorius, & alii. Jam verò quid prohibet, quin S. Ambrofius, agens de hujufmodi Inftituto Canonicali, Mediolani florente, & Mediolanenfes alloquens, aptè dicere potuerit D. Eufebium in ea Ecclefia: *eofdem Monachos inftituiffe, quos Clericos*? Sic aptè dicimus S. Dominicum, præclariffimi Ordinis Prædicatorum, Urbi Vercellenfi, facra inftituta dediffe, quia ibi, ejufdem Inftitutis facra familia floret.

Id quod addit Differtator fol. 76. *quis poteft negare Fileppum effe Canonicum & Monachum*? Ineptiffimum eft. Nam certè, & rebus quas tractat, nullatenus convenit; & quid poftulet, quidque ad rem conferat, nullus intellexerit.

PROPOSITIO QUARTA

Ordinationes Episcoporum a D. Eusebio peractæ, ejus Metropoliticam Dignitatem manifestant: Noster Dissertator, ineruditionis, & ineptæ nugacitatis convincitur.

NUlla certior actio Metropolitica, ordinatione Episcoporum. Hoc munere D. Eusebium perfunctum esse, nemo dubitat. D. Dionysium ab Eusebio ordinatum esse Episcopum Mediolanensem, est in confesso apud omnes. Plures alios ab eodem ordinatos esse, locupletissimè testatur Vita MS. sæpe citata, ibi: *in qua Urbe* (Vercellis) *S. Eusebius Pontificalem tenuit sedem, & eam Catholica fide sapienter gerebat, & non solum suæ Civitatis curam regebat, fidem rectam ei prædicans, verum etiam sapienter vicinarum Civitatum ordinationes rectas in Episcopis peragens, Civitatibus, fidem omnibus tribuebat.*

Noster Dissertator ea, qua pollet eruditionis vastitate, & Critices exactæ copia, edicit fol. 77. *ordinationes peragere*, idem hoc loco significare, ac res distinctè, & accurate componere: *Ut istius*, inquit, *Orationis verus sensus & legitimus effulgeat, monitum*

Cano-

Canonicum ago , hos terminos , ordinationes peragere , *interdum significant* (ita) *hoc idem ac res distinctè , ac accuratè componere , alicui rei modum , ac ordinem adhibere , interdum consulere , ut hoc aut illud fiat , interdum ex praescripto sive rationis , sive juris quoddam gerere , interdum leges condere , interdum sacris ordinibus initiare . Si intelligatur de Ordinationibus à D. Eusebio peractis , idem ac sacris ordinibus initiare , D. Eusebius sacris ordinibus consecravit Civitates* (nota sapientis Viri gravem animadversionem) *non Episcopos ; quod verbum* ordinationes *evocat* (ita) *verbum* Civitatum , *& ordo super Urbes rectè cadit . Mirum esset* (crescit Oratio) *inspicere Urbes initiatas Dignitate Sacerdotali , & Episcopali , & effectos Sacerdotes* (mira eruditio) *& Episcopos . Quare opus est intelligendi* (ita) *praefata verba* , Civitatum ordinationes peragere , *uti Civitates ordine Civili, ac religioso instruere , ordinationes rectas , aut dictis, aut consiliis , & instructionibus peragendo . Eusebius Antistitum Parens , summo apud eos loco extans , maxima aestimatione pollens , ordinationes Urbium propinquarum rectas peregit , sapientes ei* (ita) *instructiones , aut eloquiis , aut scriptis , fidei augendae , & propagandae caussa , praestans , sicut suae Civitatis curam gerebat , Fidem rectam ei praedicans* . Ut pulchram hanc doctrinam consarcinaret , non Sanctos Patres, & Concilia , non Eruditos , & Criticos , sed Calepinum , seu potius Lexicon aliquod puerile,

L 4

rile, & inelegans, consuluit. Demus tamen, quod cupit, nempe D. Eusebium, sanctis ordinationibus, hoc est ordine civili, & religioso, edictis, consiliis, instructionibus, Civitates instituisse; hoc ipso eum Metropolitam fuisse fateri compellimur. In comperto est enim apud omnes, hæc & his similia, ad jus Metropoliticum spectare. Cæterum absonam esse, & intolerandam verborum detorsionem, quam arbitrario invehit, violentam & parum scitam esse interpretationem ab eo commentam, convincit primo D. Dionysius ex consensu omnium, ab Eusebio ordinatus Episcopus, convincit secundò concors Sanctorum Patrum, & Conciliorum sententia, in quibus quoties sermo habetur de ordinationibus ab Episcopo peragendis, semper res est de sacris ordinationibus; convincit tertiò ipsa litera textus à me allati, in quo non legitur *Civitatum ordinationes peragens*, sed *Civitatum ordinationes rectas* (rectas nempe, quia jure factas, Metropolita scilicet) *in Episcopis* (nota) *peragens*, queis verbis nitidissimè, ordinationes Episcoporum designantur; convincunt demum ejusdem textus verba sequentia, quæ ordinationes hujusmodi adscribunt expressè Dignitati Primatiali D. Eusebii: *tunc enim ritè*, subdit textus, *sub tanto Pastore, sua Civitas Primatum tenebat, qua se, & alias circum circa vicinas Urbes, verbo salutis, & unitatis fide pascebat*. Hinc insulsum, ac planè ridiculum est illud, quod Dis-

Dissertator addit: *Si intelligatur de ordinationibus a D. Eusebio peractis, idem ac sacris ordinibus initiare, D. Eusebius sacris ordinibus consecravit Civitates, non Episcopos &c.*

De cætero non audet negare D. Dionysium ab Eusebio ordinatum fuisse, addit tamen, ut vim argumenti inde petiti, evadet: *quid obstat*, inquit fol. 78., *quin Pontifex Romanus, speciali delegatione, ad peragendam D. Dionysii consecrationem, Eusebium designare potuerit?* Nugatoria sunt, Pater mi, quæ petuntur ab eo, *quod fieri potuit*, quando agitur de impugnanda propositione, quæ exploratam habet veritatem. Mea proposito est hæc: D. Dionysius Episcopi Mediolanensis, ordinatus fuit in Episcopum à D. Eusebio. Id à te non negatur. Ego inde infero D. Eusebium fuisse Metropolitanum, quia solius Metropolitani est ordinationes Episcoporum peragere. Nulla monumenta produnt hanc ordinationem peractam fuisse, vi delegationis Pontificiæ. Unde sequitur naturaliter peractam esse jure ordinario. Assertum hoc, etiam te judice fol. 18. inconcusse stat, quousque oppositum validis rationibus probetur. Tu pro omni probatione tui dicti, quid reponis? *Fieri potuit*. Optima probatio, quæ directè pugnat cum iis a te traditis loco citato, & in dubium revocat plerasque historias ab omnibus pro veris admissas. Nulla alia ratione dicimus D. Ambrosium Metropolitam, nisi quia eum scimus ordinasse, instruxisse, sollicitudinem habuisse &c. Vide Carolum a Basili-

silica Petri Episcopum Novariensem, infra proferendum. Nonne fieri potest, ut hæc omnia peregerit jure Delegationis Pontificiæ? Idem esto judicium, de aliis innumeris. Pressius te coarcto. Provincia, quam tibi demandasti, non obtrectatoris, sed impugnatoris est. Itaque non obtrectationibus, sed rationibus, & momentis, te agere oportet. Auctoritas Bachinii, Scriptoris proculdubio docti, ad defensionem malè à te susceptæ causæ, nihil penitus confert. Nam ut cætera taceam, Bachinius loquitur de ordinationibus peractis tempore Synodi Nicænæ, ut tu ipse asseris. Constat autem Dionysium multò post tempore, & post annum CCCL. ordinatum fuisse Episcopum Mediolanensem. Non multis admodum annis deinceps D. Ambrosius, plures peregit Episcoporum ordinationes. Quis dixerit eas peregisse vi delegationis Pontificiæ? Et tamen contra eas, non minus ac contra ordinationes a D. Eusebio peractas, militat auctoritas Bachinii, & tuum argumentum planè nugatorium: *Quid obstat*, inquam, *quin Pontifex Romanus*, *speciali delegatione ad peragendas ordinationes Episcoporum*, Ambrosium, *designare potuerit*? Nil equidem obstat; ut id fieri potuerit; sed ut dicatur ita factum esse, obstat invictè; quod nullis monumentis, hujusmodi delegatio proditur.

Aliam viam init noster Dissertator citato fol. 78. non magis felicem, & aptam ad impugnandum Primatum Ecclesiæ Vercellensis, quem

quem textus asserit. Eum adscribendum censet, non potestati Metropoliticæ, quæ Vercellis esset, sed tantumodo ingentibus meritis, quibus apud omnes, Eusebius, clarissimus erat: *Hic Primatus*, inquit, *ad decus Vercellarum, non ex potestate Metropolitica sive Urbis sive Eusebio tributa; sed tantum ex singulari æstimatione; quæ ex ingentibus meritis, ex clarissima fama, ex ineffabili Sapientia, & invictissima fortitudine, ex venerabili canitie tanti Viri, exorta est. Omnes Præsules, Doctrinæ caussa, eum adibant, ejus consiliis stabant, sacrorum negotiorum deliberatio, ab ejus ore pendebat. Quare Athanasius, & Eusebius, Viri ad omne facinus imminentes, paris famæ consortes; quibus cum nullus coævorum Antistitum; scientia, prudentia, & firmitate erat æquandus; pro defensione Catholicæ Fidei, assiduè, & invictè insistebant; unus in Oriente; alter in Occidente, Fidelium partes regebant. Quamobrem est cur Eusebius jure Metropolitano donatus censeatur*. Quibus auctoritatibus, & momentis, tam intrepidam Doctrinam comprobat? Nullis omnino de more. Ipsum hic, & alibi, semper dixisse sat est. Novum profecto impugnandi genus. Sed audiat, & discat. Primatus alicujus Urbis, non Sanctitatem, non prudentiam, in suo conceptu imbibit, & signat, sed potestatem, & præeminentiam. Nec ullus dixerit Primatum alicujus Urbis supra reliquas, pendere ex sanctitate, & meritis Episcopi residentis. Alioquin

quin ficut ſanctitas, & meritum, Primatum inferret, ita improbitas, & demeritum, eum non adeſſe demonſtraret. Quod quam abſonum ſit, nemo eſt quin videat. Nullum Eccleſia Catholica, Auguſtino majorem, aut fortaſſis nec parem habuit. Nemo tamen Eccleſiæ Hipponenſis, ob id, Aphricæ Primatum, unquam attribuit. Primatus, qui Vercellis in textu tribuitur, non à Sanctitate D. Euſebii, ſed expreſſis verbis petitur ab ordinationibus Epiſcoporum, & à munere verè Metropolitico, quo D. Euſebius perfungebatur. Eum jam fuiſſe Vercellis, cum Euſebius Epiſcopatum inivit, & eundem, quem poſtea Mediolanum obtinuit, diſſertis verbis enuntiat alius textus, à nobis in Diſſertatione noſtra allatus: *Eodem tempore Vercellis Civitas Liguriarum, Primatum inter cæteras Urbes, retinebat, quem poſtea Primatum, Mediolanum obtinuit. Sacratus autem B. Euſebius, Pontificali Stola &c. Vercellas dirigitur*.

Porrò vaſtitas eruditionis, & efficax argumentandi ardor, eò Diſſertatorem noſtrum adducit, ut non ſolùm Vercellenſi Eccleſiæ, & D. Euſebio, ſed & Eccleſiæ Alexandrinæ, & D. Athanaſio, Dignitatem Primatialem abroget, eam utrobique adſcribens ſanctitati, & doctrinæ horum Sanctorum Pontificum. Perſpicua, hac de re, ſunt ejus verba fol. 79., à nobis ſupra relata: *Quare Athanaſius, & Euſebius, Viri ad omne facinus imminentes &c.*

Hunc

Hunc exitum Pater mi, ſortiuntur Provinciæ malè ſuſceptæ; ut eas deinde peſſimè adminiſtrari neceſſe ſit.

PROPOSITIO QUINTA.

Jus ordinandi Epiſcopos, agnovit in Eccleſia Vercellenſi, D. Ambroſius. Noſter Diſſertator id diſſimulat, & incohærenter loquitur.

DIvus Ambroſius in celeberrima illa Epiſtola ad Vercellenſes, qua eos hortatur, ut ad electionem Epiſcopi, D. Limenii ſucceſſorem, procedant, nitidis verbis indicat jus Vercellenſis Eccleſiæ olim exercitum, ordinandi Epiſcopos aliarum Eccleſiarum: *Conficior dolore*, ait S. Pater, *quia Eccleſia Dei, quæ in vobis eſt, Sacerdotem adhuc non habet, ac ſola nunc ex omnibus Liguriæ, atque Æmiliæ, Venetiarumque, vel cæteris Italiæ finitimis partibus, hujuſmodi eget officio, quod ex ea aliæ ſibi petere ſolebant*. Hunc textum afferimus in noſtra Diſſertatione, eoque probamus jus Eccleſiæ Vercellenſis, dandi aliis Eccleſiis Epiſcopos. Noſter Diſſertator, id diſſimulat, & textum levi pertranſit calamo: *Quum Euſebius*, inquit fol. 79., *ineffabilium doctrinarum magiſter extiterit, & quidquid in Sancta Plebe*

Plebe Vercellensi, *potuerit esse virtutum*, *&*
gratia, *in Sancti Eusebii magisterio repertum*
fuerit, *plures e discipulis*, *Sacerdotii sui haeredes reliquit*. *Ob id Ecclesia Vercell.*,
alia sibi Sacerdotes petere solebant. *Ecclesia Mediolanensis Dionysium*, *Novariensis Gaudentium*, *Derthonensis Exuperantium*, *Vercellensis*,
denatis Eusebio, *& Limenio*, *immediato ejus successore*, *Honoratum habuere*, *qui Eusebii magisterii participes*, *ac passionum*, *exilii*,
carceris, *& virtutum socii fuerunt*. Non
satis percipitur, quid sibi velit hæc doctrina.
Ut alia incohærentia taceam; illud *plures e Discipulis*, *Sacerdotii sui reliquit haredes*,
aliqua majori eget illustratione. Nam certè
ad Dionysium, Gaudentium, & Exuperantium, referri non potest. Sacerdotium, seu
Episcopatus D. Eusebii, Vercellis fuit; Sancti
Dionysius, Gaudentius, & Exuperantius,
hujus Sacerdotii certè hæredes non fuerunt,
cum nullus horum fuerit Episcopus Vercellensis.
Unde doctrina sibi cohærere non videtur.
Præterea imperceptibile prorsus est, quomodò
nam Ecclesia Mediolanensis Dionysium, Novariensis Gaudentium, Derthonensis Exuperantium ab Ecclesia Vercellensi, sibi Episcopos petierint, cum nullus horum, aut Vercellensis fuerit, aut ad Ecclesiam Vercellensem
spectarit? Quod enim fuerint Discipuli, D.
Eusebii, non ob id verum efficitur, quod fuerint ab Ecclesia Vercellensi, illis Ecclesiis, in
Episcopos concessi. Quis dixerit Ecclesias Hippo-

ponensem, & Vercellensem, petiisse sibi ab Ecclesia Mediolanensi, in Episcopos, illam D. Augustinum, istam D. Honoratum, per hoc quod unus, & alter juxta Chronica Coenobii Eustorgiani, fuerint Discipuli D. Ambrosii? Sed missa hæc facimus. Opinor Dissertatorem nostrum velle, quod illo textu intelligi debeat plures e Schola S. Eusebii, assumptos fuisse ad alias Ecclesias regendas, sic expetentibus Populis. Verùm hanc interpretationem alienam esse à naturali significatione verborum, & à communi acceptione, pluribus ostendo. Petere Episcopos ab aliqua Ecclesia, quid aliud naturaliter importat, secundum usum loquendi Conciliorum, Canonum, & Sanctorum Patrum, nisi postulationem? Et quid appellat, nisi Ecclesiæ, à qua postulatur, jus concedendi, seu dandi ad petitionem Episcopos? Dare autem Episcopum alicui Ecclesiæ postulanti, quid aliud in tota rigorosa, obvia, & naturali significatione importat, nisi aliquem consecrare in ejus Civitatis Episcopum? Nam Episcopi, non aliter quam consecratione, Ecclesiis regendis præficiuntur. Et ideo usitatissima est apud Sanctos Patres, hæc Ambrosiana Phrasis; qui plerunque compendio utentes, dare Episcopos eas Ecclesias asserunt, quæ consecrandi auctoritate pollent: & eas petere, seu postulare dicunt, quæ ab Ecclesiis primariis, hujusmodi munus expectant; sicuti videre est in Epistola Episcoporum Provinciæ Arelatensis, data ad S. Leonem

nem Papam, in qua probant jus Metropoliticum in tota Provincia, seu Gallia Narbonensi, supra Episcopum Viennensem, semper stetisse penes Praesulem Arelatensem, eo quod Ecclesiae ejusdem Provinciae, semper ab Ecclesia Arelatensi, suos Episcopos petierint. Praeterea Summi Pontifices, qui ad requisitionem Populorum, aliquos in Episcopos, consecrarunt, vel alicui potestatem fecerunt, ut eos consecrarent, rescribentes dicunt, *damus vobis Episcopum &c.*, quemadmodum in eorum Rescriptis videre est. *Dare* autem, & *petere*, sunt inter se correlativa. Demum in Sacrorum Canonum Regulis, nil frequentius occurrit, quam *dare Episcopos*, *concedere Episcopos*, alicui Ecclesiae *pra rdinare*; Sicuti *petere*, *postulare*, *accipere Episcopos*, pro iis habendis, à quibus interest eos consecrari. Et nullus unquam, in facti specie, aliter hujusmodi verba intellexit. Hasce ratiocinationes, clariores reddit ipsemet D. Ambrosius, sui ipsius interpres. S. Doctor loco citato non dicit praecisè, quod aliae Civitates, Episcopos petebant ab Ecclesia Vercellensi, sed signanter, quod ab ea petebant munus, seu officium Episcopale, ibi: *Sola Vercellensis Ecclesia . . hujusmodi eget officio, quod ex ea alia petere solebant*. Munus autem, seu officium Episcopale, sola consecratione confertur: ergo aliae Ecclesiae, quae à Vercellensi, hujusmodi petebant officium, petebant ex mente S. Ambrosii, suos Episcopos consecrari ab Episcopo Ver-

Vercellensi . Demum notandum est illud *petere solebant*, quod in textu legitur. Hoc indicare videtur morem vetustum , & valde usitatum . Equidem si S. Ambrosius loquitur de Episcopis , quos Ecclesia Vercellensis , vivente D. Eusebio , dedit aliis Ecclesiis , hos scimus sacratos esse ab ipso D. Eusebio , uti disertè habet Vita MS. saepius citata . Inter eos sunt Dionysius Mediolanensis, Marcellinus, fortassis etiam S. Syrus Ticinensis , & S. Exuperantius , quem nonnulli consecratum ajunt Episcopum Derthonensem ab ipso D. Eusebio. Si verò S. Doctor loquitur de Episcopis , quos post obitum Eusebii , aliæ Ecclesiæ ex ejusdem Schola, sibi adsciverunt, certum est, quod tempore , quo scribebat Ambrosius , unus ad summum S. Exuperantius, Sedem Derthonensem ascenderat . Nam D. Gaudentius Novariensis , factus est Episcopus , D. Ambrosio jam defuncto . Unus autem , vel alter Episcopus, morem valde usitatum non inducit . Unde illud *solebant* referendum est , vel ad tempora antiquiora, vel saltem ad illa S. Eusebii, quibus certum est Episcopos , ab ipso , consecratione aliis Ecclesiis datos esse . Quare stat, quod non aliter intelligendus est textus Ambrosianus , nisi, ut a nobis expositus est.

Demum adde aliud esse scholam S. Eusebii, aliud Ecclesiam Vercellensem . Quæ fuerit schola S. Eusebii; nobis edicit D. Ambrosius in citato Sermone *Ad sancti*. Transvectam esse in Gallias, & in Aphricam , ibique plures

egregios sanctitate viros, non minus quam Vercellis, germinasse, docet Baronius: *Hoc ipsum præstantissimum vitæ genus*, ait hic Auctor, loquens de hujusmodi schola, *S. Martinus Episcopus Turonensis, in Gallias transvexit, ac S. Augustinus in Aphricam, qui admirabili quadam consensione, duo hæc vitæ genera, omnium perfectissima, Clericorum, & Monachorum, in unum pariter conjungentes, tanquam lucidissimis astris, ut olim Martyres tempore persecutionis, in pace Christi Ecclesiam exornarunt*. Et quidem plures inde Episcopos, ad alias regendas Ecclesias, acceptos esse, ambigendum nullatenus est. Quis dicat eos ideo prodiisse ab Ecclesia Vercellensi, seu ab Ecclesia Vercellensi, Episcopos datos esse? Unde quamvis Dionysius, Gaudentius, Exuperantius, & si qui sunt alii, ab hac schola ad alias regendas Ecclesias, assumpti fuerint, non propterea ab Ecclesia Vercellensi, prodiisse dicendi sunt.

PRO-

PROPOSITIO SEXTA

Dignitas Metropolitica D. Eusebii, probatur auctoritate scribentium Auxentium Arianum, Pseudo-Episcopum Mediolanensem, ab eodem Eusebio exauctoratum. Noster Dissertator parum scite assertiones nostras impugnat de more: & dum nobis errorem imponit, ipse vehementer errat; quin Eusebium fuisse Metroplitam confirmat.

EX ejectione Auxentii Episcopi Ariani e Sede Mediolanensi, auctoritate D. Eusebii, validum in Dissertatione mea instauro argumentum pro ejusdem D. Eusebii Metropolitica Dignitate. Auctores, qui pro hujusmodi ejectione stant, nec pauci sunt, nec contemnendi. Nihilominus noster Dissertator fol. 80. intrepido hoc titulo, Caput quintum suæ Dissertationis inscribit: *A D. Eusebio, Auxentium Arianum Episcopum, ex Episcopatu Mediolanensi, ejectum fuisse suffecto viro Catholico Dionysio, falsissimum omnibus patet*. Num omnibus pateat ut falsum, quod a pluribus, iisque doctissimis Scriptoribus, traditur ut verum, judicium esto apud Eruditos.

ditos. Hæc propositio nostri Dissertatoris: *à D. Eusebio, Auxentium Arianum ejectum &c. falsissimum omnibus patet*, resolvitur in hanc universalem: *Omnes fatentur*, seu *apud omnes certum est, Auxentium non fuisse ab Eusebio, sede pulsum*. Si ego afferam non unum, aut alterum Scriptorem, sed plures, & plures, qui Auxentium ab Eusebio pulsum afferant; procul dubio juxta regulas Dialecticæ, evadet vera, & innegabilis contradictoria hujusmodi propositionis, quam propterea falsissimam esse, certissimum esse debet apud omnes. Præter à nobis adductos in Dissertatione nostra, idem de ejectione Auxentii, auctoritate D. Eusebii, tradit ex nostris Episcopus Bonhomius elog. 18. fol. 40., ibi: *Auxentio Ariano Episcopo pulso*, Eusebius *Dionysium discipulum, orthodoxæ fidei defensorem, Ecclesiæ Mediolanensi, præficiendum curavit*. Idem sentit Gualvaneus Flamma celebris Scriptor Mediolanensis, e Sapientissima Prædicatorum familia, apud Puricell. in Laurentio Litta Archiep. Mediol. cap. 24. num. 67. fol. 244.: *Contra Auxentium*, ait Gualvaneus, *B. Sylvester misit suum Legatum, B. Eusebium Episcopum Vercellensem, qui erat Vercellis. Hic promulgavit Auxentium, Archiepiscopum Mediolanensem non esse; quia Claves Ecclesiæ, extra Ecclesiam non sunt: & ipsum deposuit; cujus sententiam Auxentius contempsit. Et tunc B. Eusebius capit exercere jura Archiepiscopalia, ex vi legationis. Ex quo alii dixerunt, quod* Archie-

Archiepiscopatus erat Vercellis. Ad quæ Puricellus, Ibid.: *hisce similia*, ait, *videre pariter licet in Archiepiscoporum nostrorum Catalogo MS.*, *& in Ambrosiana Basilica*, *custodito*, *qui confectus fuit anno MCCCXVIII.*, *sicut in ejus calce habetur*, *quique postmodum exscriptus est denuò*, *Studio*, *& opera Michaelis Pizzolpassi*; *& sic etiam in altero pariter ejusdem Basilicæ Catalogo MS.*, *& usque ad Hyppolitum Card. Estensem*, *sive ad annum Christi MCDXCVIII. producto*. *Tum dejectum igitur* (concludit Puricellus) *e sede Auxentium*, *quam in ejus vicem consecratum Dionysium*, *ego pariter fatebor ab Eusebio*, *sed ex Apostolicæ legationis auctoritate*, *quæ tunc temporis ab ipso exerceretur*; *sive demandata ipsi fuerit a S. Silvestro*, *sive à Julio*, *ut probabilius videtur*, *ac temporum rationi magis consentaneum*. Hæc Puricellus Scriptor eruditione clarissimus, & de Historia Mediolanensi, optimè meritus. Complures alii adduci possent; sed relati sufficiant.

Non ergo omnibus patet falsissimum esse, quod Auxentius à D. Eusebio ejectus fuerit; quod imo falsissimum est, id omnibus patere. Condonandum nostro Dissertatori, si ratiunculam aliquam, aut saltem Auctorem unum, ad dictum suum tuendum afferret. Sed nec Auctorem laudat, nec rationem profert. Totus incumbit in reprehendendo unicè D. Antonino, qui Auxentii ejectionem tradit. Deinde hoc expleto, omnes sine exami-

 ne,

ne, & sine delectu, damnat, qui idem sentiunt, hoc decretorio laconismo fol. 82. : *idem de Mombritio, aliisque judicium est*. Postmodum pro omni probatione, frivolè de more, subdit: *certo certius est D. Ambrosium, immediatè Auxentii locum implevisse*. Quod comprobat hac opportuna, elegantique doctrina: *Animo revolvat* Fileppus, *Auxentium inter vivos egisse, dum Damasus coegit Concilium, in quo Ursacius, & Valens, semel, & iterum collapsi in haresim Arianam, damnati fuere, & de Auxentio, ne verbum quidem, quod ille impius omnino Valentiniani gratia floreret*. Ut cognoscat prudens lector, quam apposite hæc dicantur, advertat quæso hoc Concilium habitum fuisse anno CCCLXVI., cujus nil aliud superest, nisi Epistola Synodica ad Episcopos Illyricianos, nobis servata ab Hilario in fragmentis. Ibi *de Auxentio ne verbum quidem*, ait Dissertator, & rectè. Numquid igitur inde probatur, seu *Auxentium, tunc adhuc inter vivos egisse*, seu *Ambrosium*, qui ipso teste Cathedram Mediolanensem, ascendit anno CCCLXXIV., *immediatè locum demortui Auxentii*, implevisse? Portenta eruditionis, & Critices, sunt hæc. Addit tamen: *Secum perpendat* Filleppus *id, quod Hieronymus in Chronico ad annum Gratiani XI., conscripsit*: " Post Auxentii seram „ mortem, Mediolani Ambrosio Episcopo „ constituto, omnis ad rectam fidem, Ita„ lia convertitur. " Quid inde? Plerique om-

omnes, qui docent Auxentium ab Eusebio pulsum, suffecto Dionysio, iidem asserunt, post Concilium Mediolanense sub Constantio, Auxentium iterum, Imperatoris auctoritate fretum, sedem Episcopalem invasisse, eamque usque ad mortem occupasse. Demum ex egregiis adeo doctrinis, testimoniis, & argumentis, concludendo reprobat tam ordinationem Dionysii, quam ejectionem Auxentii: *De ordinatione*, inquit, *D. Dionysii a D. Eusebio confecta, possumus arbitrari eadem pari fide, qua ejectionem Auxentii ab eo factam, excepimus.* Quare? Nam allata sunt prorsus inepta. Audi: *Quia*, inquit fol. 83., *in utroque dicto apud nos, pari auctoritate, Scriptor* (D. Antoninus) *pollet*. Quia itaque D. Antoninus, nulla apud eum auctoritate pollet, ideo reprobanda est tum ordinatio D. Dionysii, tum ejectio Auxentii? Nullus equidem hanc consequentiam, aptam esse dixerit. D. Antoninus non est solus, qui id doceat; sed est unus dumtaxat ex compluribus doctis, & fide dignis, qui magno numero, id ipsum tradunt. Quare ne unus quidem, & certè nullus erit, qui Dissertatori tam immodicè exorbitanti veniam præbuerit. Quid verò, si nihilosecius eum clamantem audiat, certum apud omnes esse, Auxentium a D. Eusebio ejectum non esse? Sed piget cum hujusmodi Adversario, hac de re, ulterius verba facere.

Cæterum non est hujus loci, disceptatio-

nem texère de Auxentii ejectione, quam non pauci in dubium revocant, uti expresse professi sumus in nostra Dissertatione. Neque ibi aliquid diximus, quo innuerimus velle nos alibi fuso calamo, hanc historiam defendere. Sed nobis ad intentum sufficit, Viros doctissimos agnovisse in D. Eusebio, potestatem exauctorandi Episcopos intrusos. Id quod de more noster Dissertator addit fol. 83. *Si Fileppus ad tuendam Auxentii ejectionem a D. Eusebio confectam, scribere velit, calamo, ut ait fuso, non apto scribet*. Id inquam ineptionis damnat gravissimos Auctores, ipso procul dubio doctiores, qui hanc ejectionem defendunt. Quod, intolerandum alicui videri poterit; potissimum quia compertum est omnibus vel mediocriter doctis, ex hucusque dictis, & ab ipsomet allatis, quod quicunque voluerit apto calamo illam historiam impugnare, necesse habebit, aliis ab per eum adductis, argumentis uti. Sed alia inspiciamus.

Scriptores non contemnendi testantur, olim invaluisse opinionem, quod *Archiepiscopatus fuerit Vercellis*, eo quod Eusebius munia Metropolitica peregerit. Id pariter fatetur noster Dissertator fol. 80. & 81. Exinde manifestò liquet opinionem de Metropolitico jure Ecclesiæ Vercellensis, non esse adeo novum, ut ipse criminatur: & verum reapse esse D. Eusebium, munere Metropolitico defunctum esse, pluribus exercitis actionibus Metropoliticis;

ticis; quæ non aliæ profecto sunt ab iis, quibus supra probavimus D. Eusebium, hujusmodi munere perfunctum esse, quasque tam acri calamo exterminare, & ad fabulas amandare ipse contendit sibi contrarius. Itaque quoad hoc, acta res est. Reliquum est, num D. Eusebius, munere Metropolitico defunctus sit vi delegationis Pontificiæ, an verò jure ordinario. Et quidem, qui legationem adstruit, eam positivè probare debet. Nam exercitium juris Metropolitici, si nil ex adverso proferatur, ad auctoritatem Metropoliticam, veluti ad causam naturalem, referendum est. Nullus hujusmodi legationem probat, sed nec probare potest. Nam nemo ex antiquis est, qui ejusdem meminerit: nec ulla vel levis conjectura adducitur, vel adduci potest, quæ eam inferat. Itaque opinatio, quæ eam affirmat, est prorsus gratuita, & ad libitum excogitata, adeoque cum fabulis foras ejicienda. Hæc consequentia est evidens ex doctrina ipsiusmet Dissertatoris fol. 18., quam hic juvat repetere: *Patet ei*, inquit, *qui primas Criticæ scientiæ institutiones leviter hausit, ex communi silentio, judicari quidquid historicum, veluti falsitati obnoxium, si in nullis antiquitatis documentis contineatur; quæ in virorum doctorum cognitionem descenderint. Neque opus est, ut cognoscatur nullum latere documentum, quo facti mentio fiat, nullum defecisse, in quo res memoriæ prodita erat*. De facto explodendas ajunt

ajunt Eruditi, istiusmodi opiniones gratuitas, veluti historiarum pestes, & corruptelas. Si enim licitum esset eas pro libito invehere; nonne quilibet, ut supra jam innuimus, posset exploratissimas historias in dubium revocare, & fabellis aspergere?

Sustineat adhuc paululum noster Dissertator; quoniam argumentum, quod conficit ad ostendendum rumorem olim exortum, quod Metropolis esset Vercellis, *nulla veritatis specie invaluisse*, nullatenus est dissimulandum. En argumentum, quod jacet fol. 81.: Post Mediolanensem Synodum (argumentatur) Eusebius in exilium abiit una cum Dionysio &c.: ergo rumor, quod Vercellensis Ecclesia esset Metropolitana, nulla veritatis specie innixus invaluit. Hunc ordinem quidem in argumento non servat; sed æquivalent ea, quæ ibid. habet: *Hic rumor*, ait, *nulla veritatis specie innixus invaluit. Post Mediolanensem Synodum enim, Eusebius in exilium abiit, una cum Dionysio &c., neque ante obitum Constantii, terras Italicas salutavit*. Unde nam hæc consequentia, Pater mi Admodum Reverende? Quis tandem in tanto Dissertatore, non demiretur validum ingenii robur, invictum argumentorum pondus, vastam eruditionis copiam, & veræ, exactæque Critices exemplar, omnibus exhibendum?

PRO-

PROPOSITIO SEPTIMA.

Dionysius Episcopus Mediolanensis, qui in Concilio Mediolanensi, & Episcopi, qui in Ariminensi, lapsi fuerant, apud Eusebium, ut Judicem causam dicunt; Noster Dissertator, ineruditionis arguitur.

MAnifestum argumentum auctoritatis Metropoliticæ D. Eusebii, quod Episcopi lapsi in Conciliis Mediolanensi, & Ariminensi, apud ipsum, causam dixerint, ostendo in Dissertatione mea. Noster Dissertator, primum me, & Eusebium irridet: *Nunc Eusebius*, ait fol. 84., *forum agit, judicium disceptat, jus dicit, culpa, & pœna, Dionysium liberat, cæterosque Episcopos, eodem crimine devinctos, absolutos dimittit*. Deinde me, & doctissimum Virum, Athonem Episcopum nostrum, carpendo statim subdit: *Quis ea de re, nos instruit? Atho. Quo ævo floruit? Anno æra vulgaris CMLX. & ultra, ut in serie Episcoporum Vercellensium, Canonicus me docet. Unde hausit hanc rem, omni retro antiquitate ignoratam, & à præstantissimis Viris, Hilario, Ambrosio, & Hieronymo, eodem sæculo supparibus, nunquam observatam?* Equidem Eusebius jus dicit. Nec est cur irrisione tantum virum excipiat. Quod ego so-

solius Athonis testimonium attulerim, in causa fuit, quod ea res sit omnium Scriptorum, qui D. Eusebii vitam conscripserunt, calamis trita. Inter eos sunt, Auctor vitæ MS. D. Fusebii, quæ in Archivio nostro asservatur, & Bonin. Mombrit., cujus historiam dicit Tillemont., esse magni faciendam, utpote haustam ex antiquis monumentis, & alii plures. De subscriptione Dionysii in Athanasium, meminerunt etiam Severus Sulpicius, & Lucifer Caralitanus, atque expressius D. Ambrosius, referens interdictum illud decretorium, & auctoritativum ab Eusebio, post deletum Chirographum, imperantis in modum pronuntiatum: *neque me vestris sceleribus polluo, neque filium meum, vobiscum participare permitto*. Quod hi Patres expressè non dicant veniam ab Eusebio datam esse Dionysio, cæterisque lapsis in Concilio Mediolanensi, mirum esse non debet; nam neque meminerunt alios Episcopos, præter Dionysium, lapsos esse; cum tamen certum sit ex Tabulis nostris, quas refert Baronius ad annum CCCLV., fuisse numero XXIX., qui cum Dionysio subscripserunt contra Athanasium. Non enim consueverunt Scriptores, utcumque accurati, semper omnia adamussim, quæ gesta sunt, suis scriptis inserere, contenti potiora retulisse. Cujus rei luculentissimum exemplum nobis suppeditant Evangelistæ ipsi, ex quibus, quod unus omisit, alter supplevit, quia silentium unius, alterius assertioni adver-

versetur. Sed nec omnia, quæ in terris gessit Christus Dominus, memoriæ prodiderunt, sicuti habemus ex testimonio S. Joannis. Præterquam quod veniam haud dubiè datam, satis colligitur, quod deinde lapsi, facti poenitentes, neglectis Imperatoris jussis, se Eusebio adjunxisse leguntur. Quantus Vir fuerit Atho, quantaque in æstimatione sit apud Eruditos omnes, multis in eum collatis laudibus, pandunt Natalis Alexander, Dacherius, uterque Pagius, Muratorius, & recentiores plerique omnes, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agunt. Tantum Virum, tantæque eruditionis, ea quæ dixit, ex certis suæ Ecclesiæ monumentis hausisse, quis dubitet?

Exclamat Dissertator: *in maximam angustiam Concilium conjectum fuisse, ut Eusebii dextra indiguerit ad exsolvendum à culpa Dionysium*, *sat non erat*, subdit, *Pontificis Maximi potestas, quæ apud Legatos insidebat*. *Quis credet* necessariam fuisse ad *hoc opus agendum*, *Metropolitæ potestatem*? Deinde nobis, more suo illudit, quasi quid insulsum, & ab omni probabilitate remotissimum dixerimus: *Ad hanc angustiam*, inquit, *sui genii indulgentia traxit Theologum, qua Dignitatem Metropoliticam D. Eusebii, vallo, & aggere munire contendit*. Ait itaque, *in maximam angustiam, conjectum fuisse Concilium, quod indiguerit dextra Eusebii ad exsolvendum Dionysium*. Inquiro ab ipso, de quo Concilio loquatur? Nonne de Concilio Mediolanensi sub Constan-

tio,

tio, quod Hilarius *Synagogam malignantium appellat*, *quodque* Dionysium, ad subscribendum, impulerat? Quam optimè Dionysii lapsui esset prospectum, si Concilii fuisset, hac de re, judicium ferre! At Legati Apostolici, inquit, (at erant ad exsolvendum Dionysium, quin Eusebio opus fuerit. Ego eum provoco ad Historiam Ecclesiasticam. Omnibus, vel mediocriter peritis manifestum est, à nonnullis in dubium revocari, num Pancratius, & Hilarius fuerint in Concilio, hac legatione præditi. Eos enim Hilarius appellat dumtaxat, Clericos Romanos. Sed fuerint Legati, uti videtur negari non posse; eos tamen vel tunc nondum ad Concilium accessisse, vel certè fuisse in vinculis detentos jussu Imperatoris, non est res adeo incomperta. Equidem interventu Eusebii, cum Mediolanum accessit, e carcere demum fuisse liberatos, habent Acta ejusdem Concilii ex Tabulis nostris, & apud Ughell.; de quibus Labbæus, ad id Concil., P. Arduinus, Baluzius, aliique Eruditi; & inde Concilio cum eodem Eusebio adfuisse, docet S. Hilarius. Non solùm autem Dionysius, sed ipsimet Legati, Eusebii dextra, & auctoritate indigebant. Eum propterea datis litteris, quas ex Tabulis nostris refert Baronius, & impressas legimus apud Ferrer. fol. 33., rogant ut iter suum acceleret, ad dissolvendam, destruendamque blasphemantium Arianorum machinam.

De lapsis in Concilio Ariminensi, ita pronun-

nuntiat noster Dissertator fol. 84. : *Episcopi, qui in Ariminensi Synodo, inconsultò cecidere, Eusebium inierunt, ut non propriam causam apud Judicem adducerent* (ita) *sed ut tuerentur suam famam, quam Acta Concilii obscuraverant*. Hanc explicationem, esse contra fidem historiæ, prodit ipse textus D. Hieronymi, unde assertum nostrum probavimus, & unanimis consensus Scriptorum, asserentium eo loco, agi de recipiendis lapsis. Quod minus procul dubio, judicis fuit. Addit fol. 85.: *iidem Episcopi decepti non tantum Eusebium, sed & omnes Antistites reduces, convenere. Si enim in congressum venerint cum Eusebio, ut Judice, & Metropolita, ego infero omnes Episcopos reduces, dignitate Metropolitarum, ac Judicum potitos fuisse*. Falsum, & erroneum est Episcopos deceptos convenisse non tantum Eusebium, sed & omnes Episcopos ab exilio reduces. Vide Baron. ad annum CCCLXII. Noster Dissertator, qui contra fidem historiæ, nullo sui dicti de more, fundamento allato, id profert, manifesti erroris redarguitur a D. Hieronymo in Apol. de recip. lapf. contra Lucifer., qui est locus à nobis citatus in Dissertatione nostra: *Dum periclitabatur*, ait S. Doctor, *navicula Apostolorum .... Dominus excitatur, imperat tempestati, moritur bestia, tranquillitas redit. Manifestius dicam; Omnes I [illegible] pi, qui de propriis sedibus, fuerant ext[illegible] iati, per indulgentiam novi Principis, ad Ecclesias redeunt*.

Tunc

Tunc Triumphatorem suum Athanasium Ægiptus excepit : tunc Hilarium de prælio reverentem, Galliarum Ecclesia complexa est, tunc in reditu Eusebii, lugubres vestes Italia mutavit. Concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur &c. En tantumodo tres Judices, apud quos Episcopi lapsi convenerunt, ut veniam exposcerent, nempe Athanasium, Hilarium, & Eusebium. Neque ullus unquam meminit, quod alii in Occidente, munus recipiendorum lapsorum in Concilio Ariminensi, obierint præter Hilarium in Galliis, & Eusebium in Italia. Et quidem, quod Hilarius in Galliis tantumodò hoc munus expleverit, habetur ex Sulpicio Severo : *Verum*, inquit, *ubi Hilarius permensus est Orbem pene terrarum, malo perfidia infectum, dubius animi, & magna curarum mole æstuans, cum plerisque videretur, non ineundam cum his communionem, qui Ariminensem Synodum recepissent ; optimum factu arbitratus revocare cunctos ad emendationem, & pænitentiam : frequentibus intra Gallias Conciliis, atque omnibus fere Episcopis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta condemnant, & in Statum pristinum, Ecclesiarum fidem reformant. Resistebat sanis consiliis Saturninus . . . . qui etiam propter hæresis infamiam . . . . Ecclesia ejectus est . . . . . . Paternus etiam à Petrocoriis æquè vecors,*

tors, *nec detrectans perfidiam profiteri*, *Sacerdotio pulsus : cæteris venia data . Illud apud omnes constitit , unius Hilarii beneficio , Gallias nostras piaculo hæresis liberatas* . Noster Dissertator , qui illam partem Hieronymiani textus , *tunc Triunphatorem suum &c.* , supprimit, & reticet , ex qua liquet veritas nostræ doctrinæ ; num id egerit consilio malo , num ex inscitia , vel inconsiderantia , meum non est u dicare .

N PRO-

PROPOSITIO OCTAVA

Acta Concilii Mediolanensis sub Constantio, nitidissimè Metropoliticam Eusebii Dignitatem demonstrant. Noster dissertator nihil contra adducit, quod sapiat, Dicteriis totam rem peragit: seque omnis eruditionis, & critices expertem esse manifestat.

CLarissima sunt ea, quæ asserimus in Dissertatione nostra ad demonstrandam Metropoliticam Dignitatem Eusebii, petita ab Actis Concilii Mediolanensis sub Constantio. Noster Dissertator, nihil contra habet, quod vel minimum debilitet vim argumentorum, quibus utimur, imò nil ex allatis ab ipso, fas est reperire, quod vel sapiat, vel speciem aliquam eruditionis præseferat. Hoc manifestò patebit ex mox dicendis. Nihilosecius, inverecunda phrasi (ne mihi succenseat, nam ipsemet se *erubescentia solutum* profitetur fol. 19.) asserit me in enormem, putidumque errorem, cecidisse, & eo usque procedit, ut frontem ipsi periisse arbitreris: *male natam*, inquit fol. 88., *Scriptiunculam, longa dele littura. Frange leves calamos, scinde Thalia libellum*. Immodica

hac

hac me reprehensione insectatur, quod scribam D. Eusebium sollicitatum fuisse, interesse Concilio, eo quod *sine ipso, utpote Metropolitano, nihil jure agi poterat.* „ *Theologus*, inquit fol. 86, *mira, ac novissima doctrina, me instruit his verbis*: " Sine quo „ nihil, utpote Metropolitano, jure agi po„ terat. " *Ei gratulor, & gratias ago. Concilium universale, eo opus habet Metropolita, ac ejusdem juris, ut sine Metropolita nihil jure ab eo agi possit? Concilium Mediolanense anno CCCLV. in caussa Athanasii, sub Liberio Romano Pontifice, & Constantio Cæsare, celebratum, non erat Provinciale sed universale, omnium Episcoporum convocatione, & ex Occidente, tercentum eorum, & si ex Oriente paucorum, congregatione habitum, quamvis Conciliabulum dici debeat, æterna oblivione delendum. Non sat erat auctoritas Liberii, Episcopi in Urbe, Metropolitæ in Romana Provincia, Primatis in Italia, Patriarchæ in Occidente, ac Summi Pontificis in universa Ecclesia, quæ apud Legatos, Luciferum, Pancratium, & Hilarium, insidebat, ut Concilium jure agere absque Eusebio, dicto Metropolita, posset? In Synodis Provincialibus, Metropolitæ locum supremum obtinent, eas convocantes, & in actionibus præsunt. Verum in Conciliis Universalibus, auctoritas Pontificia valet, & eminet adeo, ut sine judicio, sententia, & præsentia Metropolitæ, illius Provinciæ, ubi eadem habentur, omnia jure agi pos-*

possint. Fatigatur deinde, ut probet Concilia, quibus Pontifex Romanus per se, vel per legatos non interfuerit, legitima non censeri. Qua de re, citat Socratem lib. 2. hist. Eccl. cap. 8. & Sozomenum lib. 3. cap. 10., sed citationes nostri Dissertatoris, sunt & ipsæ, non minus quam argumenta, ubique pares. Socrates lo. cit. refert Gregorium Alexandriam ab Arianis deductum, ut eam Ecclesiam, pulso Athanasio, administraret: & deinde narrat artem Athanasii, ut Arianorum manus effugeret; & nil præterea. Sozomenus verò, nil aliud habet, nisi quod Episcopi Orientis, & Occidentis, jussi sunt Decreto Imperatorum Constantis, & Constantii, Sardicen, Urbem Illyrii convenire: quod Episcopi Orientis Philippopoli coacti, scribunt Episcopis Occidentis, jam Sardicæ congregatis, ut pellant e Concilio Athanasium, & Paulum, utpotè abdicatos: quod ad hæc Episcopi Occidentis rescripserunt, se nunquam ab eorum communione refugisse, neque jam velle ab ea refugere, præsertim cum Julius Episcopus Romanus, causa eorum accuratè cognita, illos neutiquam condemnasset: quod Episcopi Orientis separatim convenientes, ab Ecclesia ejecerunt Julium Romanum Episcopum, Osium, Maximum, & quosdam alios, ob id, quod cum Athanasio, & Paulo communicarent. An hæc conferant ad intentum viderit ipse, qui ea laudavit. Ista obiter

ac

ac veluti perfunctoriè adnotasse sat sit. Ad rem accedamus.

Ut brevibus negotium conficiam, & nostri Dissertatoris obtrectationes exsibilem, præmitto propositionem illam, quam insectatur, *sine quo utpote Metropolitano, nihil jure agi poterat*, meam non esse; sed Concilii Nicæni can. 4. definientis: *Firmitas eorum, quæ geruntur per unamquamque provinciam, Metropolitano tribuatur Episcopo*; & Concilii Antiocheni, celebrati anno CCCXLI. *Per singulas Regiones*, ait Can. IX., *Episcopos convenit nosse, Metropolitanum Episcopum, sollicitudinem totius Provinciæ gerere ..... Unde placuit eum, & honore præcellere, & nihil amplius præter eum, cæteros Episcopos agere, secundum antiquam a Patribus nostris, regulam constitutam*. Hanc regulam habere quoque locum in Conciliis generalibus, convocatis auctoritate Summi Pontificis aut nullus est, qui à Sede Apostolica, legationem præsidendi habet, aut is, qui hujusmodi legatione præditus est, necessario impedimento detinetur, ne præsidere possit, nulli dubium esse potest ex regulis Sacrorum Canonum; quæ vetant Congregationes Acephalas. Jam verò Legati à Sede Apostolica missi, qui Concilio Mediolanensi præsiderent, erant Pancratius, & Hilarius; Nam Lucifer Caralitanus, non videtur aliquibus, fuisse hujus legationis particeps; tum quia Hilarius, eum appellat dumtaxat *Episcopum Sardiniæ*; tum quia professioni Fidei, ab

Eusebio propositæ, leguntur solumodo, tertio loco subscripti Pancratius, & Hilarius. Hos autem a Constantio, fuisse in vincula, una cum Lucifero, conjectos, & liberatos tunc tandem, cum Eusebius jam Mediolanum accesserat, tradunt Acta ejusdem Concilii, de quibus supra, & haud obscurè colligitur ex verbis S. Hilarii, dicentis: *Eusebius Vercellensis . . . . venire Mediolanum præcipitur, collecta jam illic malignantium Synagoga, decem diebus ad Ecclesiam vetitus est accedere, dum adversus tam Sanctum Virum, malitia se perversa consumit. Soporatis deinde consiliis omnibus, ubi libitum est advocatur. Adest una cum Romanis Clericis, & Lucifero Sardiniæ Episcopo*. Unde evidens est, quod Concilium, ni Metropolitanus interfuisset, qui sua auctoritate, Decreta firmaret, in apertam evadebat tyrannicam Synagogam malignantium. Necesse itaque habebat Constantius, ut nefariis suis, & Arianorum conatibus, speciosum quæreret colorem, Metropolitanum accersere, utpote *sine quo*, in iis circumstantiis, *nihil jure agi poterat*.

Verum ponamus Pancratium, & Hilarium, Legatos Apostolicos, liberos fuisse, ut Concilio, juxta legationem interessent. Quid inde? Hoc pariter casu, *nihil jure agi poterat, præter conscientiam* Eusebii, *utpotè Metropolitani*. Notat eruditissimus Vir Nicasius Sevillanus de Prim. Eccl. Tolet. par. 1. cap. 6. num. 19. & 20. ex Cardinali Sfondra-

drato, & aliis Eruditis, quod olim, quantum ad rem spectat, duplex erat genus Legatorum Pontificis. Aliqui habebant jus, & potestatem delegatam, præsidendi Conciliis. Et isti, quicunque tandem fuerint, vel Episcopi, vel Sacerdotes, vel Diaconi, semper prima subsellia, & primum subscribendi locum, ante reliquos omnes, quacunque dignitate fulgentes, occupabant. Alii verò legabantur, ut Conciliis adessent duxtaxat, quin haberent mandatum præsidendi. Et isti non consuevere subscribere, & sedere primo loco. Cujus rei citatus Auctor, nonnulla profert exempla. In IV. Synodo Chalcedonensi, Paschasinus, & Lucentius, legati S. Leonis: in Synodo Constantinopolitana III., Theodorus, & Gregorius, Presbyteri, necnon Joannes Diaconus, Legati Papæ Agathonis: in Synodo Nicena II., uterque Petrus nomine, Legati Papæ Adriani; primi sedisse, & subscripsisse leguntur. E contra Concilio Arelatensi primo sub Silvestro Papa, quatuor Legati Pontificis interfuere, videlicet Claudius, & Vitus Presbyteri, Eugenius, & Cyrinus, Diaconi, quorum nullus præfuisse arguitur, ex eo quod nullus subscripsisse legatur, cum de cætero Marinus, ejusdem Civitatis Episcopus, prima subsellia occuparit, similiter in Concilio Ephesino, temporibus Cælestini Primi, D. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, & Arcadius Legati subscripsere primi, Projectus autem, & Philippus, & ipsi, Pontifi-

cis Legati, nonnisi post Episcopos plures subsignant. Demum Concilio Constantinopolitano II., septem Episcopi, Legati Papæ Agapiti interfuere, qui tamen nec præsederunt, nec primo loco subscripserunt, sed primus omnium subscripsit Mennas, Patriarcha Constantinopolitanus, deinde Hippaccius Præsul Ephesinus, Constantius Heracleæ, Eusebius Cizycenus, & post eos Legati. Hinc patet Pancratium, & Hilarium non fuisse Legatos primi generis, sed secundi, nempe non fuisse Legatos ut præsiderent Concilio Mediolanensi, sed ut interessent tantumodo. Nam professioni fidei in eodem Concilio, ab Eusebio in medium allatæ, ut habemus ex citatis Actis ejusdem Concilii, primus omnium subscripsit ipse Eusebius, deinde Dionysius Episcopus Mediolanensis, & post eum Pancratius, & Hilarius. Quare expostulandum fuisse à Patribus Concilii (sicuti reapse expostulaverunt, missis Legatis, duobus Episcopis, Vercellas) interventum Eusebii, utpotè Metropolitani, cum Pancratius, & Hilarius, vices Summi Pontificis ad præsidendum non gererent, non videtur posse adeo confidenter, & cum tanta subsannatione negari. Quod Metropolitanus is esset, qui præesse deberet Conciliis & convocatis auctoritate Summi Pontificis, & actiones dirigere, quoties Legati Pontificii non haberent à Pontifice, potestatem præsidendi, sed interessendi dumtaxat, luculentissimum exemplum habe-

mus,

mus, tum in citato Concilio Arelatensi primo de anno CCCXIV. sub S. Silvestro Papa, ad quod jussu Constantini Magni convenerunt ex locis diversis, Episcopi propè ducenti, cui Legati Pontificii interfuere, Claudius, & Vitus, Presbyteri, cum Diaconis Eugenio, & Cyriaco, quin aliquis eorum præfuerit, aut actionem direxerit, id totum exequente Marino Arelatensi Metropolitano, ut supra diximus; tum in Concilio Constantinopolitano II., sup. relato. Quid plura? Ubi Eusebius Mediolanum accessit, tunc tandem cum ipso ad Concilium pariter convenerunt, Pancratius, Hilarius, & Lucifer Sardiniæ Episcopus. Quis autem eorum, Concilio præsedit? Quis prima subsellia occupavit? Quis tandem Concilii actiones direxit? Legati ne? Nequaquam. Eusebius is fuit ex clarissimo testimonio S. Hilarii, à nobis in Dissertatione nostra allato. Eusebius is fuit, ut ibi dicimus, qui primus respondit, & pro omnibus respondit: totam actionem Concilii direxit: quid cæteri Episcopi agere, quidque omittere deberent, quis ordo in Concilio servandus, quidque in eo agi, & definiri deberet, ipse præscripsit; ejus sententia demum, & judicium, omnibus pro lege fuit. Ad hæc quid noster Dissertator respondet? Nihil prorsus; Contentus conviciis, & irrisionibus, me onerasse, omnia alto silentio præterit. Et tamen hinc liquidò omnibus fit manifestum, D. Eusebium non solum

fuisse

fuisse exploratissimè Metropolitanum, sed talem insuper, ut ipso absente, nihil jure agi potuerit. De facto ex testimonio Ambrosii, in ejus ad Concilium adventu, Acta, quæ ipso inscio, & absente gesta fuerant, rescissa sunt. Confer nunc, si placet, ea, quæ postmodum in eodem Concilio gessit Liberius Papa, cum iis, quæ gessit Eusebius. Constantius Imperator ob Eusebii constantiam, spe sua frustratus, Liberium Papam, Roma Mediolanum accersit. Conventus ibi Liberius, ut in Athanasium subscriberet, respondit: *ego verò postulo, ut primum quidem generalis præcedat subscriptio, qua fidem Nicea expositam confirmet. Deinde ut revocatis ab exilio fratribus nostris, & in sedes suas restitutis, si ii, qui tumultus in Ecclesiis nunc excitant, Apostolica Fidei consentire visi fuerint, tunc universi Alexandriam convenientes, ubi & accusatus ipse, & accusatores sunt, & defensor eorum, examinato illorum negotio, concordem sententiam proferamus.* Hæc habet Dialogus Mediolani habitus Imperatorem inter & Liberium, relatus à Theodorito lib. 2. hist. Eccl. cap. 16. Hic auctoritatem Summi Pontificis intueris, præscribentis, & definientis, quid agi deberet. Id ipsum pariter præscripserat, & definierat Eusebius, uti habemus ex Hilario. Utrumque habes jus dicentem Concilio, Eusebium primum, deinde Liberium. Quid de utriusque auctoritate statuis? Studium præterea Constantii, adeo enixum,

xum, ut cæteros ferè negligeret, & in id unum totus incumberet, ut Eusebius subscriberet, & eo renuente, ut id præstaret Liberius, Roma ob id accersitus, nonne horum Virorum, characterem cæteris eminentiorem aperit; atque peculiarem penes eos, auctoritatem resedisse? *Eusebius*, ait noster Dissertator fol. 88., *apud Constantium, magno erat loco, & existimatione, & auctoritate valebat apud Dionysium elapsum* (ita) *atque in eum, Patris locum obtinebat. Ulterius ingenio acerrimus, prudentia, magno rerum usu comparata exercitatus, subtilitate valens erat.* Omnia vera. Eusebius magno erat loco, & existimatione apud Constantium, & plurimæ auctoritatis apud reliquos Episcopos. Quid? Dixeris ne inde, eum non Metropolitanum potius, quam Metropolitanum? Illud etiam verissimum, & omnibus compertum, Eusebium perpetuò fuisse exagitatorem Arianorum acerrimum, & talem se plurimis argumentis prodidisse tum apud Imperatorem, tum apud Arianos, quibus propterea magno terrori erat. Præterea ipsum Athanasii amicissimum, & cum eo, concordi sententia conjunctissimum, sciebant Ariani omnes. Unde nam quæso, tantus habendi in Concilio Eusebium, Virum hujusmodi, ardor Arianos, & Constantium incessit, ut ad intereffendum Concilio, etiam honorificentissimis legationibus, eum sollicitarint? Probe norant, quantus hostis Arianismi, & quantus Athanasii Defensor esset Eu-

se-

sebius, quantaque malignis ipsorum consiliis, Arianisque rebus ab Eusebio, si ad Concilium se contulisset, immineret calamitas. Norant praeterea, omnem fermè spem Catholicorum in uno Eusebio esse locatam: nihilque sibi magis metuendum, quam ejus ad Concilium, accessum. Quare ergo formidabilem hostem, ad ipsorum consilia destruenda, imò ad se perdendos, atque Catholicos erigendos, firmandosque, tam exquisitis modis invitant? Eusebio etiam absente, omnia jure agi poterant: plures e Catholicis, Arianorum dolis irretiti, inter quos Dionysius, jam in Athanasium subscripserant, spesque erat, ni se validior inferret, quod alii quoque eorum exemplum sequerentur. Consultius ne erat, Arianis rebus, ut Eusebius, qui ad Concilium ire recusabat, Concilio abstineret, imò ubi adfuisset, à certamine submoveretur? Ita planè. Et tamen Ariani solicitant, rogant, urgent Eusebium, ut adsit, & neminem praeterea. Quorsum tandem ista? Nonne, quia Eusebii auctoritas, plusquam simplicis Episcopi: quia ipso absente, nihil jure agi poterat? Nemo profecto, inficias ibit. Legati ipsi, nonne & ipsi rogant Eusebium, ut adsit, ut sua praesentia Arianos fuget, auctoritate Concilium dissolvat? *Legati Apostolici*, inquit Dissertator fol. 88., *in extremo rei Catholicae discrimine laborantes, omnem salutis spem, rationemque in eo posuere, eumque exoraverunt, ut adveniens, solertia, doctrina,*

acu-

acumine, machinam Arianorum dissolveret, non ut Concilium dissolveret; non enim erat opus auctoritate Metropolitæ ad dissipandam Synodum, quia Legati, ea, qua illam collegerant, auctoritate (unde nam habet eruditissimus Dissertator, quod Legati Concilium collegerint?) *dissolvere potuere*. Poterant ergo, juxta ipsum, Legati Apostolici, ea auctoritate, qua Concilium coegerant, illud dissolvere. Cur, quæso, in tanto discrimine, quod Catholicæ rei imminebat ab ipso Concilio, illud non dissolverunt? Nonne soluto Concilio, omnem Arianorum machinam, destrui oportebat? Et tamen *omnem solatii spem, rationemque in Eusebio ponunt*; ipsum rogant, ut celeriter se ad Concilium conferat, ibique Valentem pellat, atque adventu suo, blasphemantium Arianorum machinam dissolvat, & destruat. Quid, amabo te, ista significant? Significant, & quidem nitidissimè, penes Eusebium unum, fuisse eam auctoritatem, quam deinde ipse in Concilio, suis actibus prodidit, nempe dirigendi rectè actiones Conciliares, discernendi refractarios, eosque summovendi, & præscribendi contra Arianos, ex quibus eorum machina dissolvi posset. Quis itaque neget Eusebium Metropolitanum, atque ea potestate prædictum, sine qua nihil in Concilio, jure agi poterat? Hæc mirè comprobat ipse Dissertator fol. 91.: *Urgens*, ait, *rei Catholicæ negotium, Eusebii prudentiæ injunctum erat, eo temporis, quo ex fractis ossibus, in ultimum discri-*

discrimen incumbebat, *amissa Dignitas*, *& extincta salutis spes*, *videbantur*. *Additis Fidei apud Nicaam exposita*, *à quadraginta Episcopis*, *subscriptionibus*, *rejectis ab omnibus*, *Casaris mandatis*, *calcatis*, *& pressis*, *Arianorum sceleribus*, *Concilium dissolutum*, *& fusum est*. Exinde concludit fol. 92. interrogando: *quid inde* Fileppus *colligit ad firmandum Metropoliticum Primatum D. Eusebii?* Quid colligo? Colligo, quod cum illa omnia, quæ nos attulimus, & ipse, hic affert, sint juxta Canonicas sanctiones, evidentes actiones Metropoliticæ; colligo inquam D. Eusebium fuisse absque dubio Metropolitam, & talem, ut sine ipso, in Concilio, nihil jure agi potuerit. Non enim à nomine, sed à gestis, & actionibus, dignoscunt Eruditi, quæ fuerint Veterum dignitates, & officia. Dicit, quod *rei Catholica negotium eo temporis*, *Eusebii prudentia injunctum erat*. Optimè quidem. Nam absque peculiari, excellentiorique auctoritate, non poterat Eusebius, tot tantaque agere, quæ nudam potestatem Episcopalem excedunt, & supereminent. Ab ipso, deinde inquiro, à quonam, hoc negotium Eusebio injunctum fuerit? Eum video hoc quæsito, valdè implexum. Et certè non se exsolvet nisi ad somnia, divinationes, & ad *id* quod *fieri potuit*, more suo confugiat.

Hisce, quæ satis evidentia sunt, & manifesta, adde & argumentum petitum à præceden-

dentia Eusebio data in Concilio supra reliquos ibi existentes ; quo non tantùm invictè probatur ejusdem Eusebii jus Metropoliticum, sicut ostendimus in nostra Dissertatione ; sed insuper clarè demonstratur potiores partes, primasque in eodem Concilio supra ipsos Legatos Pontificios, Eusebii fuisse, eidemque auctoritativè præsedisse. Ad hæc quid respondet noster Dissertator ? Nil aliud (fol. 89.) nisi Eusebio priorem, potioremque locum in Concilio datum esse, non quia Dignitate Metropolitica præemineret, sed quia longævæ ætatis prærogativa, cæteros antecedebat. Quam responsionem comprobat nudo dicto Baronii ad annum CCCLV., ibi : *Erat Eusebius*, ait Baronius, *Dionysio longè ætate major, adeo ut ipse Dionysius, filius videri possit. Pater namque Eusebius, præ ætate, & sedis, cui præerat, temporis diuturnitate nominari consueverat. Requisitus igitur, cum eò pervenisset Eusebius, ut exemplo Dionysii, ipse damnationem Athanasii, suo quoque Chirographo communiret, visus est illis annuere, ea tamen lege, si (ut decebat) sua subscriptio, ante Dionysii subscriptionem, in Charta, perspicuè omnium poneretur : indignum plane esse affirmans, si junior Episcopus seniori, atque parenti filius, in Charta, præter Ecclesiæ morem, ab omnibus legeretur*. Hæc Baronius, textum D. Ambrosii explicans. Hæc tamen opinatio, neque ullo Veterum testimonio, neque gravi

vi auctoritate fulcitur ; quinimò est Auctoris nimis recentis , quamvis docti , ut ei in re antiquissimo , credere debeamus . Consulat Dissertator Eruditos , qui passim clamant , Recentiorum dicta , flocci esse facienda , si Veterum testimonio , aut gravibus fundamentis non sint innixa . Quinimò ipsemet hujusmodi dicta , fide digna non esse , pluribus in locis suæ Dissertationis , nos edocet . Quare ipsius assertionem , tam levi , recentique auctoritate suffultam , veluti prorsus gratuitam, una cum aliis assertionibus gratuitis , & arbitrariis , quibus totam pene suam Dissertationem refercit , explodendam esse , nemo eruditus negaverit . Cæterum Baronium , ex proprio opinasse sensu , & in eo hallacinatum esse , adeoque potiorem locum datum Eusebio , non ætati , sed dignitati adscribendum esse , convincunt ea , quæ Eusebius gessit in Concilio . Addit Dissertator fol. 90. Arianorum machinam humi stratam esse ob ætatem Eusebii : *Eusebius* , ait , *in aciem evocat præminentiam non dignitatis* , *sed ætatis* , *ac paternitatis* , *qua Deo favente* , *machina Arianorum* , *humi sternitur* . Væ rei Catholicæ , si Eusebius junior fuisset . Quod verò hac in re , negotium conficit , est D. Eusebio primas partes concessas non solùm supra Dionysium , sed super ipsosmet Legatos Pontificios , uti clarè testatur ejus subscriptio Professioni fidei , & Hilarii narratio , de quibus sup., & in Dissertatione nostra . Constat

ſtat autem ex dictis, Legatos Pontificios, quoties Legatio erat ad præſidendum Conciliis, nulli nequidem Metropolitano in propria Eccleſia, locum ceſſiſſe: e contra verò, quoties Legatio erat ad intereſſendum dumtaxat, ceſſiſſe, non ſenioribus, ſed Metropolitano. Quod ſi poſtulata Euſebii ad Dionyſium ſolumodò referamus, qui videtur eſſe caſus, unicè à Baronio, in conſideratione habitus; adhuc certum eſt, D. Euſebium, primum locum in ſubſcribendo poſtulaſſe, eique ab Arianis delatum, non quia antiquior, & Senior eſſet Epiſcopus, ſed quia Metropolita. Res enim agebatur in Eccleſia propria S. Dionyſii, in qua iſte ex Sacrorum Canonum regulis, jus prælationis habebat ſupra cæteros Epiſcopos, excepto dumtaxat Metropolitano, quamvis ordinatione antiquiores, ſicuti probamus in noſtra Diſſertatione. Quare immeritò Euſebius, prima ſubſellia ſupra Dionyſium poſtulaſſet, ubi non fuiſſet Metropolitanus: & Concilium inique egiſſet, eidem ſupra Dionyſium, prima ſubſellia decernendo.

Præterea ſi ponamus D. Euſebium, primum locum poſtulaſſe, eique ab Arianis delatum, quia antiquior, & ſenior Epiſcopus eſſet, debemus neceſſario dicere Euſebium revera fuiſſe antiquiorem omnibus Epiſcopis, qui Concilio aderant. Hoc autem debet noſter Diſſertator ante omnia, poſitivè probare, ſi velit aliquem colorem, ſuo argumento quærere; cum ſit baſis, & fundamentum totius

doctrinæ, quam affert. Expectamus, ut probet. Quod D. Eusebius fuerit in Episcopatu antiquior D. Dionysio, est indubitatum, utpote qui Dionysium recenter ordinaverat Episcopum Mediolanensem. Ast Eusebius, non solum petiit primum locum, prælativè ad Dionysium, sed prælativè ad omnes, tum qui subscripserunt, tum qui aderant; sicuti de facili conijci potest ex relatis Actis Concilii. Constantius enim, deleto priori Chirographo, obtulit Eusebio secundum, dicens: *decet te, ut prior omnibus subscribas, deinde cæteri, tuam sequendo honorificent Paternitatem*. Imò cum actum est de subscribenda formula professionis fidei, Eusebius, primus omnium subscripsit, & post eum, Dionysius, & cæteri deinceps. Est autem prorsus incredibile, quod inter tercentos, & ultra, Episcopos, qui juxta Socratem, & Sozomenum ex Occidente, & nonnullos ex Oriente, qui ad Concilium, jussu Constantii convenerant, antiquior omnibus, fuerit Eusebius, qui de cætero Sedem Episcopalem non inierat, nisi quatuor ante annos circiter, nempe circa annum CCCL. Illud est & hic diligenter advertendum, quod Dionysius recenter ordinatus, & qui propterea debuit procul dubio fuisse ordinatione junior pluribus Episcopis, ibi præsentibus, non post multos, sed immediatè post Eusebium subscripsit, & quidem ante Legatos Apostolicos. Ex quo evidenter colligitur, quod ibidem, nullatenus servata fuit prioritas,

tas, & posterioritas ordinationis, sed certissimè prærogativa sedis. Ideo autem Dionysius ante reliquos, sed post D. Eusebium, subscripsit, quia Concilium habebatur in propria Ecclesia. Is enim mos erat priscis illis temporibus, uti adnotatum habes supra, & in nostra Dissertatione, usque ab ætate Apostolorum, ut Episcopus Ecclesiæ, ubi Concilium celebrabatur, nulla habita ratione seu sedis prærogativæ, seu antiquioris ordinationis, primus omnium subscriberet post Metropolitanum. Quare gratuitam evasionem a nostro Dissertatore excogitatam, reijciunt docti Mediolanenses frequenter, ingenuè profitentes, *quod licet* (sunt verba Caroli à Basilica Petri, Episcopi Novariensis de Metrop. Mediol. num. 8.) *ætate, vel etiam sanctitate potuerit Eusebius dici Dionysii Pater; non ideo tamen erat, cur primum postularet in Synodo, subscribendi locum*. Adde quod in quæstione, quam Mediolanenses habent de prærogativa sedis, cum Ravennatibus, censent hos causa cadere, eo quod in Concilio Romano sub Symmacho Papa, primus reperitur subscripsisse *Laurentius*, Archiepiscopus Mediolanensis, & post eum *Petrus* Archiepiscopus Ravennas, sicuti videre est apud Puricell. sup. num. 45. & 46., ubi hic Auctor ait locum sessionis, & subscriptionis in Conciliis, esse argumentum ad dignoscendum prærogativam sedis. Pro qua sententia, laudat Gratianum can. Concilia dist. 17.; quo in loco Gratianus

O 2 agens

agens de mox relata Synodo sub Symmacho Papa, habet: *hoc quoque notandum est, quod in hoc Concilio, & in alia Synodo Simmachi Papæ, ante Ravennatem Episcopum, Mediolanensis subscripsisse, & respondisse legitur; ex quo sedis prærogativam, ante eum habere colligitur*. Videtur itaque undequaque innegabile prioritatem subscriptionis datam Eusebio in Concilio Mediolanensi, adscribendam esse non antiquioritati Episcopalis ordinationis; sed potioritati sedis Vercellensis, utpote Metropolitanæ.

Saltat extra Chorum noster Dissertator, dum nobis fol. 91. obiicit ea, quæ diximus in Elencho Episcoporum Vercellensium de S. Æmiliano primo, quem conjectavimus ex Synodo Romana sub Symmacho, anno DI., ubi sextus subscripsisse legitur, jam plures in Episcopatu, transegisse annos, eo quod ex ordine subscriptionis, antiquior LXXV. Episcopis ibidem præsentibus deprehendatur. Nam in ea Synodo non agebatur de Sessione Metropolitani in sua Provincia, sed de loco, quem occupavit Æmilianus, Episcopus duntaxat, in Concilio celebrato extra propriam Dioecesim, præsidente ipsomet Summo Pontifice. Hoc enim casu verum est, quod asserit Baronius ad annum CDLXV., quo habitum est Concilium, Romanum sub Hilaro Papa; ubi rationem reddit, quare eidem primus omnium subscripserit D. Maximus Taurinensis, quia scilicet, hic antiquitate ordinatio-

nationis, cæteros præcellebat. Idem definitum legimus in Concilio Bracarensi de anno DCLX. can. VI., ibi: *placuit, ut conservato Metropolitani Episcopi Primatu, cæteri Episcoporum, secundum suæ ordinationis tempus, alius alii sedendi deferat locum*.

Demum fol 89. arguit Eusebium non fuisse Metropolitanum, quia hanc suam Dignitatem non proposuit, quando in Concilio, agebatur de primo subscriptionis loco: *Si S. Eusebius*, inquit, *Metropolitæ gradu fulgebat, quare hac invincibili ratione non se muniit? Quare extulit prærogativam Patris, & Senioris? Quia longævæ ætatis, & sedis jamdiu habitæ, & magisterii erga D. Dionysium præstantia præstitit: Quare caussam suam non instruit (ita) validissimo argumento, ex Dignitate Metropolitica assumpto? Quia hocce munere non perfungebatur*. Idem repetit fol 90. Hic, ut vides, litem grammaticalem, & puerilem de puro nomine, instituit. Vult, quod Eusebius Metropolitanus non fuerit, quia hoc se præciso nomine *Metropolitani* non appellat. Ast quisnam est adeo rudis, & peregrinus in Historia Ecclesiastica, ut ignoret priscis temporibus, Metropolitanos, non se alio nomine, quam Episcopi, Patris, & Senioris indigitasse: Nullumque Metropolitam, hoc nomen usurpasse ante sæculum VI., uti habet Vir erudissimus, Cajetanus Cenni de antiquit. Eccl. Occid. dissert. 3. cap. ?. num. 23.? Episcopum, senem, & Patrem, se dixit

xit Eusebius, juxta illorum temporum morem. Nonne *Senes*, apud Aphros, appellabantur, qui Ecclesiasticam Provinciam administrabant, sicut Dissertator ex docto Mamachio, profitetur? Nos de nomine, nihil curamus, & nullus doctus curaverit. Sat est, quod ex gestis, & actionibus, evincamus Eusebium fuisse Metropolitanum; hoc vel illud tandem nomen usurpaverit. Si vis; Eusebium, Patrem, & Seniorem appello; hoc tamen nomine Metropoliticam dignitatem designari, ejus gesta declarant, & manifestant. D. Ambrosium fuisse Metropolitanum, nemo dubitaverit, nunquam tamen se Metropolitanum inscripsit. Carolus à Basilica Petri, Episcopus Novariensis, in citato Opusc. de Metrop. Mediol. à num. 9. pluribus invictè probat Metropoliticum Primatum D. Ambrosii, non à nomine, sed ab officio Ecclesiis præstito, ab Episcopis ad Ecclesias missis, ab ordinationibus Episcoporum, & ab ipsismet, quæ nos supra adduximus ad demonstrandum Primatum D. Eusebii.

PRO-

PROPOSITIO NONA

Ecclesia Vercellensis, Primatu jam potiebatur, cum D. Eusebius, Episcopatum iniit. Dissertator, non eruditè impugnando, sed obtrectando, id negat.

PRimatum Ecclesiæ Vercellensis, ante adventum Eusebii, concordi sententia tradunt D. Antoninus, Mombritius, & alii Scriptores Vitæ D. Eusebii, communiter. Eum quoque expressis verbis pandit Vita MS. edita ab Ughello ex Monasterio Nonantulano, & ea quæ MS. asservatur in Archivio nostro, ibi: *eodem tempore, Vercellis Civitas Liguriarum, Primatum inter cæteras Urbes retinebat; quem postea Primatum, Mediolanum obtinuit. Sacratus autem B. Eusebius Pontificali Stola a Julio Summo Pontifice, ad destruendam memoratam hæresim, Vercellas dirigitur*. Noster Dissertator dicit primo fol. 94. Primatum Civilem, nunquam fuisse Vercellis, sed Mediolani. Idque probat auctoritate Athanasii. Aerem verberat. Nullibi diximus Primatum Civilem fuisse Vercellis. Dicit secundò fol. 95. Primatum Ecclesiasticum, neque fuisse Vercellis, quia, ait,

Primatus Ecclesiasticus viguit apud primarias Urbes, in quibus Dignitas Civilis Metropolitica, constituebatur. Non semper ita practicatum fuisse, liquidò constat tum ex iis, quæ adduximus supra & in Dissertatione nostra; tum ex testimonio Gelasii Papæ. Si enim antiquis temporibus, Metropolis Ecclesia, semper stetit penes Metropoles Civiles, certum est auctore nostro Dissertatore, quod una alteram infert iis in Regionibus, ubi Ecclesiam constitutam esse constat. Hoc autem ridiculum esse dicit Gelasius Papa, scribens ad Episcopos Dardaniæ, citatus ab ipso, fol. 70. Assertum suum probare contendit exemplo a se allato de Urbe Arelatensi. Ipsum deceptum esse in testimonio, quod hac de re affert, imo eo oppositum demonstrari, ostendimus supra. Dicit tertio Primatum Ecclesiasticum non fuisse Vercellis, quia Auctores à nobis citati, Urbi, non Ecclesiæ, Primatum attribuunt. Hic denuò litem puerilem de nomine instituit. Quis nescit Ecclesias sæpè, suarum Urbium nomine nuncupari? Quis me arguat, si appellem Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, Romæ Principes &c.: & dicam Romam nunc temporis, esse totius Orbis Metropolis? Et quis est, qui me ita dicentem non intelligat loqui de Principatu, & Metropoli Ecclesiastica, non Civili? D. Athanasius, & ipse translatè appellat Paulinum, & Dionysium Metropolitanos; non quod tales revera

ra essent, sed quia erant Episcopi Metropoleon Civilium. Quartum non vocat in dubium, antiquitatem, & auctoritatem Vitæ MS. editæ ab Ughello; sed me graviter repræhendit, quod in Dissertatione mea, his utar verbis: *Auctor præfata Vita, plura quæ ibi narrat, accepit à Scriptoribus coævis, vel ferè, inter quos est D. Ambrosius (si tamen hic ab illo non accepit) cujus sententias, imò & verba, non semel usurpat.* Eum audiamus: *Non arripio*, inquit fol. 95., *antiquitatem Codicis Nonantulani. Sed in dubium evocare nequeo, an præfatus Auctor ab Ambrosio sumpserit, an Ambrosius ab eo, sententiam imo & verba acceperit. Turpe dictu, fœdum auditu. Pudet me de Ambrosio hæc cogitare. Non ad hanc angustiam adducta est serviliter eloquentia D. Ambrosii, nempe alterius Scriptoris, verba usurpare. Huic servituti addictum dicere D. Ambrosium, idem est ac auream ejus eloquentiam imminuere, turpique labe inficere.* Papæ! Severa fronte, virgam agitat. Væ mihi si dixissem non solum Sanctos Patres suis operibus quandoque inseruisse nonnullas sententias Auctorum etiam prophanorum, sed ipsam quoque Scripturam Sanctam, aliquando usurpare, non solum sententias, sed etiam verba Scriptorum ethnicorum. Væ mihi inquam si id dixissem. Et tamen certum est rem ita se habere; quin id vel minimum deroget aut doctrinæ Patrum, aut Sancti-

tati

tati Scripturæ. Ego sane & ipse opinor Auctorem illum à D. Ambrosio accepisse. Sed si Auctor hujusmodi esset antiquior Ambroso, qua in re nihil certi definiri potest, indubium evaderet D. Ambrosium ab eo sumpsisse. Subdit Dissertator fol. 96. Auctorem illum, iis quæ habet de Primatu Vercellarum, detraxisse gloriæ Sancti Doctoris: *Firmiter constituo*, ait, *præfatum Scriptorem, Ambrosii sententias, expressiones, dicendique formam sumpsisse. Hoc ad laudem, & famam ejus ducit. Verum gloriæ detraxit malum consilium addendi sine caussa, ea, quæ de Primatu Vercellarum fingit, ac comminiscitur; dum D. Ambrosius ne unum quidem verbum de Primatu agit*. Præclaram adnotationem illustrat urgendo: *Revolvat quisque manu, diurna, nocturnaque, omnia D. Ambrosii opera, ac si in quendam locum inciderit, ubi Vercellarum Primatum extollat* (ita) *Canonico fasces submittam*. Et hoc lepidissimum est. D. Ambrosius de Primatu Vercellarum, nihil habet: ergo Auctor præfatæ Vitæ MS., detrahit gloriæ Sancti Doctoris, dum hujusmodi Primatum affirmat? Quis ad festivum argumentandi genus non rideat? Eccur pariter non dicit detractum gloriæ ipsius S. Doctoris, dum Auctor refert Eusebium ordinatum a Julio Romano Pontifice, scripsisse in exilio Epistolas ad Vercellenses, & Mediolanenses, interfuisse Concilio Alexandrino, & alia quædam, de quibus altum silentium, apud

apud Ambrosium ? Sed aliquid condonandum est pugnacioribus ingeniis . Aliquando enim nimius pugnandi ardor , visum , & consilium eripit . D. Ambrosius pauca admodum de D. Eusebio loquitur , eaque nec omnia suæ historiæ inseruit Auctor ille , sed nonnullas tantùm sententias . Reliqua verò ab aliis fontibus hausit , ut ipse met protestatur . Antequam hinc discedamus , unum adhuc verbum . Dissertator hic Primatum Vercellensem ad commenta reijcit , quin aliquid addat , quod illum aut convellat , aut in dubium revocet ; solidis de cætero firmatum argumentis . Sufficit ne quod ipse dicat ? Nequaquam . D. Ambrosium , patronum advocat , qui *ne verbum quidem unum de Primatu Vercellarum agit* . Ideo ne hujusmodi Primatus , commentitius est pronuntiandus ? Ita plane , ipso auctore ! Et hæc argumentandi ratio , lepida est ! quam festivis plausibus excipiat lector .

Demum auctoritatem D. Antonini , Vincentii , Jacobi de Voragine , qui de Primatu Vercellensi , testantur , flocci habendam pronuntiat , nosque admonet ne eorum fidem , inconsultò sequamur : *Auctor* Fileppo *Sum*, ait cit. fol. 96. , *ne Vincentii Belluacensis , Jacobi de Voragine , Petri de Natalibus* (hisce adnumerat infra S. Antoninum) *ac similium Collectorum ductui , inconsultò se credat , eorumque fidei , eum Sacramento adactum nolo . Apud Criticos , maxima auctoritate non pollent* . Non negarim hos Auctores , in aliquibus , præcipuè

puè in referendis miraculis, non esse fidei locupletissimæ. Quid inde? Omnia ne, quæ ab ipsis referuntur, sunt ideo falsa pronuntianda? Absit. Non pauca Opera Sanctorum Patrum, suis nævis non carent; sunt ne ideò indistinctè reijcienda? Non est æqui Censoris, sed intemperantis, ob id, quod in Scriptoribus, unum, aut alterum, falsitatem redoleat, omnia quæ dicunt, simul, absque delectu, & examine, falsitatis damnare. Bonus Criticus, delectum prudentem ubique habet: aurum à scoria secernit: omnia probat, & excutit: ac denique ea accipit, vel recusat, quæ juxta regulas, vera, aut falsa apparent. Sic nos edocet optimus Criticus, Melchior Canus, cujus verba ad hanc rem facientia, noster Dissertator refert fol. 45. Quod D. Antoninus, Jacobus de Voragine, & Vincentius, non omnia probatissima, suis scriptis inseruerint, verissimum est; sed verissimum pariter, quod in multis veraces admodum sunt. Quare iniquè aget noster Dissertator, & contra regulas bonæ Critices, si testimonium horum Auctorum de Primatu Ecclesiæ Vercellensis, nec libratum nec expensum, præcisè per hoc, quod in aliis historiæ partibus erraverint, reprobum pronuntiet. Jure aget, si testimonium hujusmodi ad trutinam bonæ Critices revocet, atque diligenter ponderatum, firmis rationibus definiat reprobum esse. Hoc postremum, tantum abest, ut præstet, vel præstiterit, quod imò

imò contentus se dixisse, dictum suum prò lege statuit. Deest hìc illa *prudentia ad eligendum, & judicandum*, quam idem Canus relatus ab ipso fol. 97. exposcit in Scriptore, ut ei fides habeatur. Nos interea, regulis bonæ Critices inhærentes, testimonium illorum Auctorum, quo ad hoc, recipiendum esse decernimus. Nam quoties Scriptor aliquid narrat, quod ab aliis fide dignis, narratum reperimus, quodque optimis argumentis, aliunde verum probatur; illud suscipiendum esse, clamant Eruditi omnes, esto Scriptor de cætero, maxima in aliis, auctoritate non polleat. Primatus Ecclesiæ Vercellensis, quem affirmant D. Antoninus, Jacobus de Voragine, Vincentius, aliique, comprobatur testimonio Vitæ MS. D. Eusebii, toties citatæ, Bonin. Mombritii, imò & D. Athanasii, nec non locupletissimè auctoritate Libri Synodici, qui prodiit temporibus Photii; sed & evidenter ab Actis Concilii Mediolanensis sub Constantio, atque ab actionibus D. Eusebii. His omnibus fidem abroget necesse est, & quidem positivis, validisque argumentis, si velit intrepidas negationes suas, temeritatis, & iniquæ obtrectationis, notæ subtrahere. Quod equidem ne levi quidem calamo, hucusque præstitit.

PRO-

PROPOSITIO DECIMA.

Dignitas Metropolitica D. Eusebii, demonstratur ab antiquissimis picturis Ecclesiæ, eum Pallio ornatum repræsentantibus. Dissertatoris absurda doctrina, qua tandem comprobatur D. Eusebium fuisse Metropolitanum.

USum Pallii ante ætatem D. Gregorii Magni, arguere Dignitatem Metropoliticam, gravibus momentis in nostra Dissertatione probamus. D. Eusebium Pallio decoratum fuisse, absque temeritate negari non potest. Nam vetustissimæ effigies, depictæ usque à sæculo octavo, nobis eum Pallio indutum exhibent. Hinc D. Eusebium, fuisse Metropolitam, videtur innegabile. Noster Dissertator, ut hanc doctrinam impugnet, nonnulla dicit, quæ ad rem penitus non faciunt. Dicit fol. 97. quosdam Episcopos, decoris causa, Metropolitas vocatos fuisse, qui Primatus jure, in Provincia carebant. Id probat testimonio Concilii Chalcedonensis, dicentis: *Divinissimus, & pissimus Dominus noster, ad Sanctam Synodum dixit: Ad honorem Sanctæ Martyris Euphemiæ, & vestræ pariter Sanctitatis, Chalcedonensem Civitatem, in qua Sanctæ*

ea Fidei Concilium gestum est, Metropolis privilegia habere sancimus, nomine tantum hanc honorantes, salva videlicet Nicomediensium Civitati, propria Dignitate. Transmitto, quod olim nonnulli Episcopi, decoris causa, fuerint appellati Metropolitæ, absque Primatu. Quid inde? Hoc certissimè ad rem non facit, nisi velit D. Eusebium fuisse Metropolitam nomine tantùm; quod tamen nec dicit, nec dicere potest. Dixi *transmitto*; quia assertionem hanc nullo exemplo, nullaque auctoritate firmat, petita à Sæculo IV. Verùm ipse dixit. Et hoc sat sit pro omni probatione, & auctoritate. Ad hunc modum, omnia sua hucusque probavit: & eadem ratione eruditissimam Dissertationem Historico Criticam absolvit. Nonne, inquies, affert auctoritatem Concilii Chalcedonensis? Ita planè. Et post allatum textum, urget argumentum me monendo: *Noverit*, ait fol. 95., *Concilium Chalcedonense, anno CDLI. celebratum esse*. Optima, & erudita admonitio, qua, ut probet ea, quæ gesta sunt circa dimidium Sæculi IV., me provocat ad ea quæ gesta sunt circa dimidium Sæculi V. Hæc mitto, & me confero ad nonnulla adnotanda, relati Concilii textum spectantia, quæ ejus vastam eruditionis copiam, in meridie ponunt. Inquiro itaque ab erudito nostro Critico, quis sit ille *piissimus, & divinissimus Dominus noster*, qui juxta textum, sancit Chalcedonensem Civitatem ha-

habere privilegia Metropolis, nomine tantùm? Nam ejus nomen, si non ex quadam ignoratione rerum, quas pertractat, certè ex industria videtur præterire, ut alicui fucum faciat. Pandam ego. Ille *Divinissimus, & piissimus Dominus noster*, est Marcianus Imperator. Nunc iterum ab eo inquiro, num hic honos, tributus à Marciano Imperatore, Civitati Chalcedonensi, fuerit honor Metropolis Civilis, an verò Ecclesiasticæ? Profectò dicere non audebit esse honorem Metropolis Ecclesiæ; quamvis id necessariò exposcat argumentum, nam hunc posse tribui ab Imperatore, graviter ipse detestatur supra fol. 69., ubi contra Hieronymum Rubeum, qui scripsit, honorem Metropoliticum tributum esse Ecclesiæ Mediolanensi, ab Theodosio Imperatore, ita loquitur: *Inspicio*, inquit, *in præfato Cæsare, præpotentiæ conatus in jus Romani Pontificis invectos; quod ad istius auctoritatem, Metropolitæ productio spectet*. Itaque, utcunque invitis dentibus, dicere compellitur esse honorem Metropolis Civilis, dumtaxat. Et sic, dum imperitè hostem urget, se, non cognitis rebus, quæ in hanc causam pertinent, in transversum agit. Prosequitur, *appellatos fuisse Archiepiscopos, qui Patriarchali potestate, exsoluti fuerunt, imò Archiepiscopos, vocatos fuisse quosdam, qui nullius Metropolis subjectionem habebant, quamvis à Patriarchis penderent*. Quid ad me, & ad hanc quæstio-

ſtionem? Subdit: *Quid obfuit illos Epiſcopos, titulo Metropolitæ decoratos, adhuc Pallii inſignii decoratos fuiſſe?* Quid hæc ſibi velint, quoad ſubiectam materiam, neſcio, & nullus perceperit, imò forſan, nec ipſe ſcit, qui dicit. Reſpondeo tamen. Relatè ad Epiſcopum Chalcedonenſem, obeſt, quod Marcianus erexit quidem Civitatem Chalcedonenſem, in Metropolim Civilem, non tamen Eccleſiam Chalcedonenſem, in Metropolim Eccleſiaſticam; niſi forte velit, quod ille potuerit unà cum honore Metropolitico Civili, tribuere etiam Civitati, vel Epiſcopo uſum Pallii. Relatè ad reliquos obeſt, quod ex Hiſtoria Eccleſiaſtica, ſicuti probo in Diſſertatione mea, conſtat ante D. Gregorium Magnum, nulli tributum fuiſſe uſum Pallii (unum ſi excipias Epiſcopum Oſtienſem, cui nonnulli opinantur à Marco Papa, tributum honorem Pallii, ob id, quod ad eum Romani Pontificis conſecratio ſpectat) præterquam ſolis Metropolitis, & quidem non omnibus. Noſter Criticus iſtis nihil reſpondens, confugit more ſuo, ad id, quod fieri potuit. Nonne jure mihi exclamare licet: O' mirus impugnandi modus? O' vaſta eruditionis copia! O' invictum argumentorum pondus! O' mira vis Critices?

Paris eruditionis, & ponderis eſt reſponſio, quam affert auctoritati Gregorii Magni: *Gregorius Magnus*, inquit, *loquitur de Pallio Arelatenſis Eccleſiæ, cui auctoritas Metropolitica adnexa fuit*. Identicam, Pater mi Admodum

 Re-

Reverende, propositionem continet hæc responsio, æquè ridiculam juxta Philosophos, ac illam, qui quis diceret: *Petrus est homo; quia est homo*. Nemo inficitur Pallio Arelatensis Ecclesiæ adnexum fuisse Dignitatem Metropoliticam. Sed nos auctoritate D. Gregorii Magni, hinc invictè probamus in Dissertatione nostra, semper cum Pallio conjunctam fuisse potestatem Metropoliticam. Ad hoc scitè respondere debes: hic est locus tuæ vastæ eruditionis proferendæ. Quod si id non præstas; quodnam quæso, judicium ferendum tu credis de intrepida illa confidentia, qua statim ab initio altè protestaris, *tibi facillimum accidisse, dicta mea comprimere, atque conterere?*

Denique pro omni impugnatione, hoc speciosum argumentum instaurat: *Ut brevi dicam*, inquit fol. 98., *Episcopus Vercellensis, Purpura Romana donatus est, & si Cardinalium S. R. E. cœtui, non sit semper cooptatus. Ita D. Eusebius, Pallii usum habere potuit, & si Metropolitæ Dignitatem, ac potestatem non obtineret*. Hic iterum sicut semper, & quidem innixus recentissimis exemplis, & paritatibus, confugis ad id, quod antiquissimis temporibus fieri potuit. Me demum pudere incipit, cum hujusmodi Adversario, longius verba facere. Repeto. Ego ex historia Ecclesiastica, validè probo, usum Pallii ante ævum D. Gregorii Magni, semper conjunctum fuisse cum potestate Metropolitica. Hoc meum assertum, non verbis, & dicterijs, sicut consuevisti,

visti, sed rationibus, & auctoritatibus, evertere debes; alioquin fiat, & stabit inconcussum, & incolume: tuque garruli obtrectatoris, apud doctos notam non effugies.

Hisce ita strennè, noster Dissertator, feliciterque expletis, tandem doctissimis suis animadversionibus, coronidem imponit, & contendit D. Eusebium non habuisse usum Pallii. Rationes, quas affert, sunt pares reliquis. Prima hæc est: *Canonici*, inquit fol. 99., *armis instructus, ac tectus, secum pugno. Eccl sia Mediolanensis, Primatum Metropolitæ accepit, quem antea Vercellensis habuit; accepit gradum cum omnibus juribus, privilegiis, ac ornamentis, quibus D. Ambrosius decoraretur. Atqui D. Ambrosius, usum Pallii non habebat: ergò nec D. Eusebius hæc insignia obtinuit*. Somnium somniat, & pro vero venditat. Primam partem propositionis Majoris, nos veram affirmamus ex Vita MS. D. Eusebii: Secundam verò, quæ est tota basis argumenti, ipse comminiscitur. Nam eam nec nos, nec ullus unquam docuit. Vidimus supra, quod usque ad tempora D. Gregorii Magni, Pallium tribui consuevit solis Metropolitis, sed non omnibus. D. Ambrosius habuit Dignitatem Metropoliticam, sed destitutam ornamento Pallii; quod tandem Ecclesiæ Mediolanensi concessum est ab eodem D. Gregorio Magno. Nego itaque constanter eandem secundam partem Majoris, quam ipse gratis obtrudit, quamque nec unquam probabit, nec probare poterit,

 cum

cum nusquam nos quid simile dixerimus, eaque nullo pacto ex prima, sequatur. Exinde concessa Minori, nego consequentiam.

Levitatem argumenti, fortassis & ipse novit. Nam eidem parum fidens, postremos suæ eruditionis exerit conatus, ac solita destruendi usus licentia, vnustissimas illas effigies, tanquam commenta exprimentes, damnat, & reijcit. *Quo falsitatis*, inquit cit. fol. 99. *suspicioni locum, & occasionem præbent, illæ vetustissimæ effigies, quæ olim D. Eusebium exhibuerunt Pallio ornatum. Conspicio innumeras, ac antiquissimas imagines; quæ D. Ambrosium, Pallio insignitum repræsentant. Hæ falsitatem redolent, & fabulas venditant. Constantius Archiepiscopus Mediolanensis enim ex probatis Canonici, primus fuit, qui avo sexto, hac gratia claruit; Hæc quæ de D. Ambrosio prodeunt, de D. Eusebio pariter, ac opportunè concidunt. Hominum pietas, sæculorum ruditas, Pictorum licentia, varias, ac frequentes fabellas excogitaverunt, adstruxerunt, & penicillis crediderunt*. Nec his contentus, ulterius procedit, & eo usque, ut Bonhomio, qui de iisdem effigiebus, testimonium fert, fidem abrogare non vereatur: *Fileppus*, inquit fol. 100. *secum pugnat, nunc sumens, ac extollens, ut gravissimum, testimonium Bonhomii, in cujus caput, præceps irruit eo loco, quo ille statuit D. Eusebium, primum Episcopum Vercellensem extitisse, quemque ut commenti enormis, & putidi conflatorem denun-*

nuntiat . Mihi prabet locum habendi hic , ejus dictis eandem fidem , qua alibi ejus auctoritatem excepit . De cætero effigies illæ non videntur citra dementissimam temeritatem posse, de impostura insimulari . De iisdem enim locupletissimè testantur de visu , Jo. Franciscus Bonhomius , Jo: Stephanus Ferrer. , qui eas refert ad sæculum VIII. , & Canonicus Jo. Baptista Modena . Nos alibi Bonhomii auctoritatem rejecimus , opinationemque ab ipso recenter invectam contra fidem totius antiquitatis , veluti commentitiam , ac enormem, putidumque errorem , sapientem , flocci faciendam diximus . Hujus nostri judicij , gravia attulimus momenta . Hic ejus testimonio utimur , quia de visu locupletissimè testatur ; nec contra eum , quo ad hoc, urgent probationes eo loco à nobis allatæ . Noster Dissertator e contra , ex impugnatore , Sycophanta , quasi Bonhomius ex fraude , & mendacio testaretur se vidisse , quæ non vidit , temerè ejus auctoritatem hic aversatur ; quin ullam ne levem quidem , cur de Viro probo , tam atrociter opinetur , rationem subjiciat . Parcit Ferrerio , & Modenæ, sed & hos, ipso auctore , turpiter mentitos necesse est , cum & ipsi idem , quod Bonhomius , de visu testentur . Temerario ausui , quis doctus non irascatur ? Sed hujus generis Critico , quid tandem præscribere potest ?

Expendamus jam si placet , argumentum , quod conficit ab effigiebus D. Ambrosii . Asserit ,

ferit, ut paulò antè vidimus, innumeras effigies, easque antiquissimas, D. Ambrosium repræsentare Pallio indutum, qui tamen hoc ornamento reapse, insignitus non fuit. Idem judicium ferendum censet de effigiebus, quæ olim D. Eusebium, Pallio pariter ornatum exprimebant. Inquiro statim, unde nam habeat, quod idem judicium ferendum sit? Nam ex effigiebus D. Ambrosii, hoc tantum inferri potest, quod *fieri potuerit*, ut idem quod in illis, acciderit pariter in effigiebus D. Eusebii. Id enim exploratum esse quis dixerit? Judicium autem ferre, & pro vero pronuntiare, id quod, *tantummodo fieri potuit*, certissimè non cohæret Regulis seu bonæ argumentationis, seu bonæ critices. Quare aut aliquam, hujusmodi judicij rationem afferat, aut æquis excipiat auribus, se hic, sicut & alibi semper, non rationibus, sed inanibus verbis contendere.

Verum enim vero doctrinam hanc, qua certè nulla ad intentum nostrum accomodatior, æqui bonique facimus; & ab ipso inquirimus, cur hominum pietas, sæculorum ruditas, & pictorum licentia, Pallium non indulserit, vetustis effigiebus, antiquorum Præsulum, aliarum Ecclesiarum Provinciæ Mediolanensis, puta D. Gaudentii Novariensis, D. Philastrij Brixiensis, D. Exuperantii Derthonensis &c.? Ulterius inquiro, cur insigniis Archiepiscoporum Mediolanensium, post D. Ambrosium, additum conspiciatur in Italia Sacra

Ab-

Abbatis Ughelli, Pallium; nullatenus verò insigniis Episcoporum, qui D. Ambrosium in Cathedra Mediolanensi, præcesserunt, & Episcoporum aliarum Ecclesiarum ejusdem Provinciæ? Pari jure inquiro, cur Pictores effigiebus S. Marthæ, lilium addiderint, & nequaquam effigiebus S. Mariæ Magdalenæ? Num & hic locum habuit hominum pietas, sæculorum ruditas, & pictorum, licentia? Inquiro demum, cur D. Petrus Apostolorum Princeps, depictus repræsentetur claves præ manibus gestans, D. Paulus gladium portans? Cur Episcopi primi ævi pingantur, caput infula redimiti &c.; cum nec D. Petrus claves, nec D. Paulus gladium portaverit, nec mitra primo ævo, in usu fuerit? Hæc & alia his similia, sunt ne adscribenda Pictorum licentiæ, qui varias, & frequentes fabellas excogitarint, & pennicillis crediderint? Consultissima arte, hæc addita fuisse, ut hisce, veluti hieroglyphicis literis, pictura significaret, quæ fuerint munia, quæ dignitates, quæ virtutes, quæ martiria &c., quibus Sancti claruere; omnes norunt. Sic claves significant potestatem D. Petro, à Christo Domino collatam: gladius passionem à D. Paulo, pro Christo toleratam: mitra munus Episcopale: & Pallium, Dignitatem Metropoliticam, quam non aliter Pictores denotare consueverunt. Quamobrem sicuti non D. Maria Magdalena, sed D. Martha ejus soror, lilio insignis depingitur, quia hæc

non·

non illa, virginitate claruit; sic non D. Gaudentius, non D. Philastrius, non D. Exuperantius, sed D. Ambrosius, tum in antiquis Tabulis, tum in Italia Sacra Abbatis Ughelli, Pallio indutus conspicitur, ut scilicet hoc signo, Dignitatis Metropoliticæ expressivo, indicaretur D. Ambrosius Metropolita, & ab aliis non Metropolitis secerneretur. Quis neget inde, Pallio, quo ornatæ conspiciebantur antiquissimæ effigies D. Eusebii, designari veluti signo hieroglyphico, & naturaliter expressivo, ejus Metropoliticam Dignitatem? Noster Dissertator equidem, id non negabit. Nam eo auctore fol. 99., quo ad hanc rem, *quæ de D. Ambrosio prodeunt, de D. Eusebio pariter, ac opportunè concidunt*. Quid igitur obstrepit contra Metropoliticam Dignitatem Eusebii, quam ipse tam clara doctrina asseverat? Sed id est familiare obloquentibus, ut dum toto nisu per fas, & nefas, alienas invadunt laudes, eas plerunque per imprudentiam confirment, & augeant. Quod pluries accidisse Dissertatori, seu verius obtrectatori nostro, vidimus supra.

Concludit denique contra nos egregiam scripturam suam fol. 100. his verbis: *si suis geniis Fileppus adhuc indulgere ipse velit, & Dignitatem Metropoliticam ex (ita) Vercellis, Mediolanum inductam fuisse, adhuc sustineat, saltem D. Eusebium appellet Metropolitam, non Insubriæ, sed Italiæ pressè dictæ.*

dicta. Nempe solemni impostura nos carpit; & ea gerras suas absolvit. Nos constanter in nostra Dissertatione, ubique Eusebium appellamus, & ostendimus *Metropolitam Italiæ, Metropolitam in tota Italica Diœcesi*, non Metropolitam Insubriæ. Imposturam suam ipsemet detegit, & pandit fol. 65. in fine, ubi expressis verbis fatetur nos contendere *Liberium* Papam, *fuisse Metropolitam partis* Italiæ, *quam Vicarius Urbis regebat*, *& Eusebium fuisse Metropolitam partis, quæ absolutè Italia appellabatur*. Levitatis equidem, & incohærentiæ ipsum jure arguet, qui legerit nunc restringentem fol. 14. Primatum Mediolanensem, ad Galliam Cisalpinam tantumodo, illis verbis: *Gratiis, & privilegiis Pontificiis, Ecclesia Mediolanensis ad gradum Primatus Metropolitici, in Gallia Cisalpina, tempore Theodosii Cæsaris, ac D. Ambrosii, conscendit*; nunc hujusmodi Primatum, fol. 100. extendentem latissimè, illis verbis: *In Ecclesia Mediolanensi, hæc auctoritas maximè enituit tempore D. Ambrosii, quo in Æmiliam, Liguriam, Insubriam, Alpes Cottias, Rætias, Venetias, cæterasque finitimas Italiæ partes, latius se se porrigebat*. Sed non est cur, suo pondere ruentem, dejectumque, ulterius urgeamus.

Intelligat hinc tandem noster Dissertator Historico-Criticus, quamnam sibi Provinciam decreverit, & quam turpiter eam administrarit, atque ut probum Virum decet, ingenue

TYPOGRAPHUS
Benevolo Lectori S. P.

Cum Auctor ob nimiam distantiam, impressioni adesse non potuerit, quamplura Operariorum incuria, irrepserunt menda. Nonnulla hic correcta habe. Cætera, quæ non pauca adhuc corrigenda supersunt, tu amicè supple. Vale.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 40.	lin. 21.	adverso	ex adverso ;
45.	5.	imougnatores	impugnatorem
47.	10.	ut hic, *quisnam censeat?*	ut hic. *Quisnam censeat?*
48.	18.	officit	efficit
54.	24 & 25	humanæ	hujusmodi
54.		penuit. fallimus	fulcimus
56.	29	Vercellensis	Vercellensem
58.	1. & 2	humiliori	hujusmodi
58.	14.	Si Petrus	S. Petrus
62.	16.	sedicesimam	16. (vel) decimam sextam
62.	21.	*subdit*	subdit
65.	16.	utcunque	utrumque
82.	11.	id eo	ideò
93.		peaultima Civitatesque	virtutesque
94.	6.	Urbanis	Urbani,
94.	12.	naturali	naturaliter
101.	8.	annos	annos ?
104.	4.	legrit	legerit
108.	2.	mooumenti	monum.
108.	5.	quin tam	quin tamen
108.	13.	Bache	Dache.
118.	20.	innovat	innuat
124.	4.	Ecclesiis	Ecclesiasticis
127.	22.	defennens	defendens
127.	2.	nostra	nomina

Pag.

ERRATA			CORRIGE
Pag. 130.	lin. 19.	exactum	relatum
137.	13.	rectis	recens
139.	11.	comminatio-	continuatio-
140.	3.	urgat	urgeat
145.	2.	*Metropol.*	*Metropolis*
15[illegible].	[illegible]	dicemus	dicamus
154.	2.	*Imperatorem*:	*Imperatorem*
158.	17.	collecta	collectæ
161.	10.	[illegible]	constet
164.	1.	*haberet*	haberet
165.	17.	Institutis	Instituti
166.	2.	gere-	rege-
166.	17.	rege-	gere-
168.	22.	Metropolita	a *Metropolita*
169.	7.	evadet	evadat
172.	7.	Hipponenfis	Hipponenfi
173.	12.	Succeſſorem	Succeſſoris
176.	16.	*præ*	pro
181.	11.	Tum	Tam
184.	29.	novum	notam
187.	9.	Euſebij	Euſebij eſſe
189.	15.	dubitet	neget
190.	2.	quæque	quodque
191.	11.	minus	munus
197.	20.	aut nullus eſt	quando aut nullus eſt.
199.	28.	occuparit, ſimiliter	occuparit. Similiter
205.	ult.	ex fractis oſſibus	ea fractis opibus
208.	3.	antiquiſſimo	antiquiſſima
210.	1[illegible].	*tuam*	*tuam*
210.	20.	[illegible] Concilium	ad Concilium
210.	14.	ſubſcribenda formula	ſubſcribendo formulæ
216.	27.	Metropolis?	Metropolim?
217.	2.	Quartum non	Quartò, non
218.	20.	*extollat*	*extollet*
219.	19.	lepida eſt! quam	lepida eſt, quam

Mc

